Oa 111

Programm

des

Königl. Gymnasiums zu Lyck.



Michaëlis 1844.

Inhalt.

1. Eine Abhandlung des Oberlehrers Kostka über die κήρυκες bei Homer.
2. Schulnachrichten vom Director Professor Fabian.

Lyck, 1844.
Gedruckt im typographischen Institute.



KSIĄŻNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU



AB 1721

Quum meum hoc anno programmatis scribendi munus esset, deliberatione habita, quamnam potissimum rem explicandam mihi proponerem, eiusmodi argumentum eligere malui, quod quum tractassem, discipulis meis aliquantum utilitatis praeberem eorumque studia adiuvarem et excitarem. Quum enim hi libelli, qui quotannis a gymnasiis in vulgus edi solent, non tam eo consilio instituti esse mihi videantur, ut praeceptoribus grata daretur occasio et locus in iis specimen aliquod eruditionis suae atque doctrinae reponendi, quam ut vel pueri, quorum ingenia in iis, quibus praesunt, ludis excoluntur atque vita moresque formantur et reguntur, ex iis aliquid utilitatis perciperent, vel cives et imprimis parentes cognoscerent, quid et qua ratione docerentur pueri, equidem, discipulorum meorum studia spectans, antiquitatum, quas vocant, Homericarum particulam, quae est de praeconibus, — ita enim interpretor nomen κήρυκος — paullo accuratius explicatam his litteris mandare statui. Quum enim Homeri carmina legentium, imprimis puerorum, animos mira quadam ratione delectare soleant, periculum est, ne pueri, rerum narratarum dulcedine allecti, in legendo solam voluptatem quaerant omnique cogitatione abiecta fere nihil fructus, nihil utilitatis ex hac lectione percipiant. Quam ad cogitationem ut commoveantur et adducantur, nihil potest efficacius esse, quam si instituantur etiam in mores et instituta animos attendere, similia componere, diversa seiungere, itaque imaginem quandam illorum temporum, quae poëta tam mira arte carminibus suis descripsit, animis suis imprimere. Eiusmodi institutionem, si recte fiat, a pueris, imprimis provectioris aetatis, quo sunt animi ardore, libentissime arripi et mirum quantum prodesse ad eorum studia excitanda atque efficere, ut Homerus postea in deliciis esse non desinat, non est, quod testimoniis et argumentis confirmem: vix erit, qui antiquitates, quas vocant, Homericas alienas esse a

lectione illorum carminum atque indignas, quae in scholis Homericis tradantur, in animum inducat contendere. Quae quum ita sint, non ab re esse iudicavi, eam, quam supra significavi, illarum antiquitatum partem, quam ut minus dignam et leviorem obiter et in transitu tractare, vel omnino negligere solent interpretes, hic paullo accuratius explanare. Dicam enim de praeconibus Homericis, quorum munera tam multa et varia sunt, ut operae pretium fore videatur, si ea in ordinem quendam redigere mihi contigerit.

De praeconibus Homericis.

§. 1. Praecones κήρυκες a poëta inter δημιοεργούς numerantur. Od. XIX, 134 Penelope, quum vesperi cum mendico illo, cuius personam Ulixes Minervae consilio et ope induerat, colloqueretur ex eoque quaereret, numquid de Ulixe audisset, ait, se tanta aerumna et tanto desiderio teneri absentis mariti, ut nullius curam haberet, neque supplicum, neque hospitum, neque κηρύκων, οἳ δημιοεργοὶ ἔασιν

> τῷ οὔτι ξείνων ἐμπάζομαι, οὔθ᾽ ἱκετάων
> οὔτε τι κηρύκων, οἳ δημιοεργοὶ ἔασιν.

Quae vox δημιοεργός ad quod genus homines pertineat, si quaeras, alter locus Od. XVII, 382 bene docebit, ubi Eumaeus, subulcus ille fide et amore domini nobilissimus, Antinoo, procorum Penelopae superbissimo, qui ei probro dederat, quod mendicum illum Ulixem in domum regiam duxisset, respondet, non solere peregrinos aliunde vocari, nisi qui sint δημιοεργοί, vates, medicos, opifices, cantores.

> τίς γὰρ δὴ ξεῖνον καλεῖ ἄλλοθεν αὐτὸς ἐπελθὼν
> ἄλλον γ᾽, εἰ μὴ τῶν, οἳ δημιοεργοὶ ἔασιν,
> μάντιν, ἢ ἰητῆρα κακῶν, ἢ τέκτονα δούρων,
> ἢ καὶ θέσπιν ἀοιδὸν, ὅ κεν τέρπῃσιν ἀείδων;

Ut primum veterum interpretum et grammaticorum sententias, quas de his hominibus habuerunt, colligamus, Etym. Mg. ed. Sylb. p. 265, 43 ait: δημιουργός· πολλὰ σημαίνει ἡ λέξις· σημαίνει γὰρ τοὺς τεχνήτας· ἀφ᾽ ὧν καὶ ὁ τῶν πάντων ποιητὴς θεὸς δημιουργὸς εἴρηται· δημιουργοὶ δὲ ἐκαλοῦντο παρά τε Ἀργείοις καὶ Θεσσαλοῖς οἱ περὶ τὰ τέλη· ἵνα σημαίνῃ τὰ δημόσια ἐργαζομένους καὶ διὰ φροντίδος ἔχοντας· παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς καὶ τὰς

πλακοῦντας ἐργαζομένας γυναῖκας· λέγουσι δ' οὕτω τοὺς ἐμπείρους, ἐνίοτε δὲ τοὺς ὁτιοῦν ποιοῦντας· λέγονται καὶ οἱ περὶ τὰς χειρουργίας καὶ τὴν τῶν τεχνῶν ἐπιμέλειαν· κοινὰς γὰρ μονονουχὶ παρεῖχον τὰς χεῖρας. — **Eust. ad Od. XVII, 383 p. 1824, 58.** δημιουργοὶ, τεχνῖται δημοσίᾳ ἐργαζόμενοι et p. 1825, 5. ὁ δὲ περὶ τῶν δημιουργῶν λόγος διδάσκει, ποῖαι τέχναι μάλιστα προςκλητέαι εἰς τὸ κοινὸν, ὅτε μὴ κατὰ χώραν εὑρίσκονται· δημιουργοὶ δὲ, ὡς ἐλέχθη, οἱ κατὰ τὸ δημόσιον χειροτέχναι, οἳ καὶ κλητοί εἰσι, διότι καλοῦνταί ποτε ἄλλοθεν, ὡς ἐτυμολογεῖ ὁ ποιητής· Αἴλιος δὲ Διονύσιός φησιν, ὅτι δημιουργὸν Ἀττικοὶ λέγουσιν οὔτε τὸν δημοσίᾳ μισθαρνοῦντα, ὡς Ὅμηρος, οὔτε τὸν δήμου προεστῶτα, ὡς οἱ Δωριεῖς, ἀλλὰ γυναῖκα πέττουσαν πέμματα. Παυσανίας δὲ λέγει, ὅτι δημιουργοὶ οἱ δημοσίᾳ ἀρχιτέκτονες καὶ ἅπαξ πάντες οἱ χειροτέχναι, οἳ γεωργοὺς καὶ πολιτικοὺς ὠφέλουν, ὅθεν δημιουργοί, φησι, καὶ αἱ τοῖς γάμοις τὰ σύμφορα πράττουσαι, αἳ καὶ νυμφίους, φησὶν, ἔλουον καὶ ἱερουργίας ἐν γάμοις ἐποίουν καὶ πόπανα παντοδαπὰ καὶ ἄρτους ἔπεττον καὶ τὰς κόμας εὐθέτιζον. Ὅτι δὲ καὶ Ἀττικὴ λέξις ὁ δημιουργὸς δηλοῖ καὶ Ἡρωδιανὸς, ἱστορῶν ὅτι Ἰκτῖνος παρὰ Ἀττικοῖς οὐκ ἄσημος δημιουργὸς ὁμώνυμος τῷ ὄρνιθι, οὗ καὶ τὴν περισπωμένην φυλάσσει ἐν τῇ παραληγούσῃ. Ἰστέον δὲ, ὅτι τοὺς δηλωθέντας χειροτέχνας ἔστιν εἰπεῖν εἶναι τοὺς τοῦ μύθου ἐγχειρογάστορας, ὡς ἀπὸ χειρῶν βιοτεύοντας, καθὰ καὶ ἐγγλωττογάστορες παρὰ Αἰλίῳ Διονυσίῳ οἱ ἀπὸ γλώττης ζῶντες· τὸ δὲ ἰητῆρα κακῶν ἐντελῶς ἐφράσθη, καθὰ καὶ τὸ τέκτονα δούρων· τὸ μέντοι ἰητὴρ καὶ τὸ τέκτων ἐλλειπτικῶς λέγονται· τέκτων δὲ δούρων οἰκοδόμος τε καὶ ναυπηγὸς καὶ ἁπλῶς ἅπας ὁ ὁπωςοῦν διακείμενος περὶ σκευὴν ξύλου. — **Eust. ad Od. XIX, 135 p. 1858, 47.** Ὅρα δὲ καὶ ὅτι δημιοεργοὶ οὐ μόνον μάντις καὶ ἰατρὸς καὶ τέκτων οἱ προῤῥηθέντες, ἀλλ' ἰδοὺ καὶ οἱ κήρυκες· ὧν οὐδ' αὐτῶν ἐμπάζεσθαι ἡ Πηνελόπη φησὶν, οἷα παρ' οὐδὲν τιθεμένη καὶ τὰ τοῦ δήμου, ἑνὸς δὲ μόνου γενομένη, τοῦ τὸν Ὀδυσσέα ποθεῖν. Ἰστέον δὲ, ὅτι δημιουργοὶ οὐ μόνον οἱ ῥηθέντες ἐλέγοντο, ἀλλ' ὕστερον καὶ οἱ τὰ πέμματα καὶ τὰς πλακοῦντας ποιοῦντες, καὶ δηλοῖ αὐτὸ Ἀθήναιος ἐν τῷ, προὐνοοῦντο πεμμάτων αἱ δημιουργοὶ γυναῖκες καὶ ἐν τῷ, καὶ δημιουργοὶ μέλιτος αἰτεῦσαι σκάφας· ἦν δὲ οὐδὲ παρὰ τοῖς πάλαι δήμιος ὁ αὐτὸς τοῖς ὕστερον· ἐκεῖνος μὲν γὰρ τῷ δήμῳ χρηστὸς, ὁ δὲ παρὰ τοῖς ἄρτι τῇ τοῦ ζῆν μειώσει παρωνομάζεσθαι δοκεῖ, ὡς οἷον ζήμιός τις ὢν διὰ τὸ τιμωρεῖν· διὸ καὶ ἄνδραγχοι πρὸς διαστολὴν τῶν πάλαι ἀγαθῶν δημίων ἐκαλοῦντο, ὡς ἄνδρας ἄγχοντες, οὐ μὴν δῆμον ὠφελοῦντες κατὰ τοὺς ἀρχαίους. — **Quo ultimo loco quum Eustathius** τοὺς δημίους τοῖς δημιοεργοῖς **adiungere videatur, eum, quem in animo habet, locum Homeri adiiciam. Sunt enim illi** δήμιοι αἰσυμνῆται, **quales fuerunt apud Phaeaces Od. VIII, 258**

αἰσυμνῆται δὲ κριτοὶ ἐννέα πάντες ἀνέσταν

> δήμιοι, οἳ κατ᾽ ἀγῶνας ἐΰπρήσσεσκον ἕκαστα.

ubi Eust. p. 1595, 18. Δήμιοι δὲ οἱ μεθ᾽ Ὅμηρον κολασταὶ σωμάτων· οἱ δὲ παλαιοὶ, ἐκλογὴ δήμου ἦσαν ἐπαινετέα καὶ ἔνδοξος ἢ γοῦν ἀλλ᾽ οὐκ ἄτιμος, ὡς ἐν τοῖς ἑξῆς οἱ δημιουργοὶ δηλώσουσιν. Interpretantur ergo τοὺς δημιοεργοὺς sive δημίους, Homericos, ut seriores omittamus, τεχνίτας, τεχνίτας δημοσίᾳ ἐργαζομένους, κατὰ τὸ δημόσιον χειροτέχνας, δημοσίᾳ ἀρχιτέκτονας, δημοσίᾳ μισθαρνοῦντας, τῷ δήμῳ χρηστοὺς, δῆμον ὠφελοῦντας, ἐκλογὴν δήμου ἐπαινετέαν καὶ ἔνδοξον. Hoc nomine ergo appellantur homines e plebe, e populo (δήμιοι), qui ob artis cuiusdam peritiam inter ceteros conspicui aliis hac ipsa arte vel artificiis suis (τῇ τέχνῃ, τοῖς ἔργοις) commodo et utilitati sunt.

§. 2. Eiusmodi homines apud Homerum haud pauci commemorantur. Etsi enim illis temporibus heroicis civilia negotia nulli seorsim assignata erant, sed cuncta communia omnibus, neque aliud alio turpius honestiusve habebatur, ita ut patres familiarum, etiam reges ipsi regumque filii sacra facerent, una cum servis suis domesticis agros colerent, lignariam, ferream, coriariam, pecuariam exercerent, deorum voluntatem interpretarentur, Ulixes navem aedificaret Od. V, 234 sqq., domum et lectum fabricaretur Od. XXIII, 189 sq., Priami filii Lycaon currum suum faceret Il. XXI, 35 sq., Antiphos greges pasceret Il. XI, 105 sq., Helenus auguria interpretaretur Il. VI, 76, Machaon Asclepiades, Thessalorum quorundam dux Il. II, 729 sq., Menelai vulneri mederetur Il. IV, 217 sq., Andromache, Hectoris uxor, suis manibus pabulum equis praeberet Il. VIII, 186 sq., Nausicaa, Phaeacum regis filia, vestes lavaret, mulos currui iungeret Od. VI, 252 omnesque omnia negotia agerent, omnem artem, si quam callebant, exercerent: tamen iam illis temporibus alium alio artis cuiusdam peritiorem fuisse Il. XIII, 730

> ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήϊα ἔργα,
> ἄλλῳ δ᾽ ὀρχηστὺν, ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδὴν,
> ἄλλῳ δ᾽ ἐν στήθεσσι τιθεῖ νόον εὐρύοπα Ζεὺς
> ἐσθλὸν, τοῦ δέ τε πολλοὶ ἐπαυρίσκοντ᾽ ἄνθρωποι.

et hanc suam artem quasi professum operam suam aliis elocasse, quum per se consentaneum est, tum multis exemplis comprobatur. Commemorantur enim praeter illos αἰσυμνήτας, certaminum iudices et magistros, hi δημιοεργοί:

1, *μάντεις.* Halitherses Od. II, 157 sq., XXIV, 452, Melampus Od. XI, 291. XV, 225 sq., Polypheides Od. XV, 252 sq. (ὃς μαντεύετο πᾶσι βροτοῖσι), Theoclymenos Od. XV, 225 sq., 529 sq., Calchas Il. I, 69 etc., Telemos apud Cyclopes Od. IX, 509 sq., Polyidos Il, XIII, 663 etc., Teiresias Od. X, 492, 538 sq., θεοπρόποι, quos Telemachus a Penelope subinde de patre consultos esse ait Od. I, 414 sq.

> οὔτ οὖν ἀγγελίης ἔτι πείθομαι, εἴποθεν ἔλθοι,
> οὔτε θεοπροπίης ἐμπάζομαι, ἥντινα μήτηρ,
> ἐς μέγαρον καλέσασα θεοπρόπον, ἐξερέηται.

et de quorum doctrina loquitur Polydamas Il. XII, 228

> ὧδέ χ᾽ ὑποκρίναιτό θεοπρόπος, ὃς σάφα θυμῷ
> εἰδείη τεράων καί οἱ πειθοίατο λαοὶ.

Qui praeterea vates nobilitantur, Helenus Il. VI, 76, VII, 44, Merops Il. II, 831, Ennomos Il. II, 858. XVII, 218, Amphiaraus Od. XV, 253, quia regibus affinitate coniuncti vel ipsi reges fuerunt, non ad δημιοεργούς pertinent.

2, *ἰητῆρες κακῶν* vel *ἰητροί.* medicorum praeter Asclepium Il. IV, 194, Podaleirium et Machaonem, eius filios Il. II, 732 etc., Sthenelum Il. V, 112, Achillem, Patroclum Il. XI, 829 sq., Autolyci filios Od. XIX, 455 sq., Agamedam, filiam Augiae Il. XI, 741 ἣ τόσα φάρμακα ᾔδη, ὅσα τρέφει εὐρεῖα χθών, qui, quum fuerint regiae stirpis, non possunt ad δημιοεργούς referri, et Cheironem Il. IV, 219. XI, 832, mentio fit Il. XIII, 213, ubi Idomeneus socium quendam saucium medicis quibusdam tradit ὁ δ᾽ ἰητροῖς ἐπιτείλας ἤϊεν ἐς κλισίην Il. XVI, 28, ubi Patroclus Achilli narrat, Ulixem, Agamemnonem, Diomedem, Eurypylum vulneratos et in manibus medicorum esse

> τοὺς μέν τ᾽ ἰητροὶ πολυφάρμακοι ἀμφιπένονται
> ἕλκε᾽ ἀκειόμενοι.

et Od. IV, 227 sq., ubi omnes Aegyptii, ut homines medicae artis periti, laudantur, imprimis Polydamna, Thonis uxor, quae Helenam quoque docuit φάρμακα.

3, *τέκτονες.* Non solum τέκτονες δούρων (οἰκοδόμος τε καὶ ναυπηγὸς καὶ ἁπλῶς ἅπας ὁ ὁπωσοῦν διακείμενος περὶ σκευὴν ξύλου Eust. supra), quales commemorantur Phereclos et Harmonides Il. V, 59, alii Il. XIII, 390. XVI, 483. XV, 411. III, 61. VI, 35. XXIII, 712. Od. V, 249. XVII, 340. XXI, 43. IX, 384, ἁρματοπηγὸς ἀνὴρ Il. IV, 485 et is, qui Penelopae sellam artificiose fecerat Icmalios Od. XIX, 56, sed

etiam alii opifices huc referendi sunt: κεραοξόος τέκτων Il. IV, 110; is, qui lapidibus murum exstruit Il. XVI, 212; χαλκεὺς χρυσοχόος Od. Od. VI, 232. XXIII, 159; Laerces χαλκεὺς, χρυσοχόος Od. III, 425, 432, ubi et instrumenta eius; alii χαλκῆες Il. XII, 295. IV, 187. Od. IX. 391 et is, cuius in officinam vel domum χαλκήϊον ἐς δόμον Melantho Ulixem mittit Od. XVIII, 328; σκυτοτόμων ὄχ' ἄριστος Tychios Il. VII, 220; coriarius vel pellio quidam Il. XVII, 389; κεραμεὺς Il. XVIII, 601; Polybus apud Phaeaces, qui pilam mira arte fecerat Od. VIII, 373 et mulier quaedam eboris tingendi perita Il. IV, 141.

4, ἀοιδοὶ. Phemios in Ithaca Od. I, 154 etc.; Demodocus in Scheria Od. VIII, 43 etc.; is, cuius fidei Agamemnon in bellum proficiscens mandat uxorem suam Od. III, 267; in funere Hectoris ἀοιδοὶ θρήνων ἔξαρχοι Il. XXIV, 720; in nuptiis liberorum Menelai Od. IV, 17 μετὰ δέ σφιν ἐμέλπετο θεῖος ἀοιδὸς φορμίζων.

§. 3. Hos omnes δημιοεργούς ob artis suae peritiam maiorem in magno fuisse honore et dignitate, multis locis testatur Homerus: veluti Il. I, 92 Calchas μάντις vocatur ἀμύμων, Halitherses vates et Demodocus ἀοιδὸς appellantur ἥρωες Od. II, 157. VIII, 483, quae epitheta aliis hominibus et rebus, nisi dignitate praestantibus non tribuuntur; Il. XI, 514 ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων; Od. VIII, 472 Demodocus vocatur ἐρίηρος ἀοιδὸς λαοῖσι τετιμένος et 479 legitur πᾶσι γὰρ ἀνθρώποισιν ἐπιχθονίοισιν ἀοιδοὶ τιμῆς ἔμμοροί εἰσι καὶ αἰδοῦς. Eiusdem dignitatis et honoris documentum est, quod eorum artes, nonnunquam et ipsi ad deos referuntur auctores. Sic μαντοσύνην vaticinandi artem, divinae voluntatis interpretationem tribuit Apollo Il. I, 72, Od. XV, 252; τεκτοσύνην Athene et Hephaestos Il. V, 61. XV, 412. Od. VI, 233. XXIII, 160; ἀοιδὴν dii, Apollo et Musa Od. VIII, 44. 64. 481. 488. XVII, 518. XXII, 347; οἱ ἰητροὶ Aegyptii proles habentur Paeeonis Od. IV, 232, qui Paeeon, deorum medicus, sanat Il. V, 401 Hadem, Il. V, 899 Martem. Ceterum hos δημιοεργοὺς quaestui quodammodo servisse et operam suam aliis non gratis praestitisse, sed pretio et mercede quadam artem suam elocasse, coniici potest. Certe eos satis divites fuisse, confirmatur testimoniis. Melampus enim vates Od. XV, 227 dicitur ἀφνειὸς Πυλίοισι μέγ' ἔξοχα δώματα ναίων et Phemios distinctis verbis Od. XXII, 351 ait, se non inopia, sed vi coactum procis Penelopae cecinisse:

ὡς ἐγὼ οὔτι ἑκὼν ἐς σὸν δόμον, οὐδὲ χατίζων
πωλεύμην μνηστῆρσιν ἀεισόμενος μετὰ δαῖτας·
ἀλλὰ πολὺ πλέονες καὶ κρείσσονες ἦγον ἀνάγκῃ.

Sed qualis et quanta illa merces fuerit, nusquam aperte docetur, neque usquam legitur, eos certa artis suae pretia statuisse, vel accepisse. Quum vero in numero *ξένων* haberentur Od. XVII, 382, eos quoque simili honore similibusque donis exceptos et dimissos esse coniecerim. Quae hospitibus data dona quanta et qualia fuerint, non est, quod pluribus ostendam. Quanquam tanta dona, quanta Menelaus et Helena a Polybo et Alcandra Od. IV, 126 sq., Telemachus a Menelao et Helena Od. XV, 102 sq., Ulixes a Phaeacibus accepit Od. VIII, 392 sq. XIII, 13 sq. idemque Ulixes sibi quondam a rege Ithacensium data esse apud Laertem simulat, Od. XXIV, 273, *δημιοεργοὺς* accepta retulisse, probari vix potest: tamen magna nonnunquam ea fuisse et inde divitias comparari potuisse, coniectura colligi potest. Pro ratione enim utilitatis et commodorum, quae ex eorum artibus in res domesticas eius, qui eorum indigebat opera, redundabant, proque facultatibus eiusdem maiora minora dona iis sunt oblata. Id quidem docet Od. II, 186, ubi Eurymachus Halithersem vatem dicit in gratiam Telemachi, ut ab eo donum acciperet (*σῷ οἴκῳ δῶρον ποτιδέγμενος, αἴ κε πόρῃσιν*), augurium quoddam esse interpretatum. Iis praeterea victum aliquamdiu praebitum eosque coena exceptos esse et nonnunquam coenam solam iis fuisse pro mercede appositam, cum per se verisimile est, tum inde coniici potest, quod aliis hominibus pro officiis, quae praestiterunt, coena praebetur. Sic Telemachus, ex itinere Pylio redux, sociis suis, qui cum eo triginta quattuor dies et triginta quinque noctes domo aberant, se *ὁδοιπόριον* promittit daturum *δαῖτ' ἀγαθὴν κρειῶν τε καὶ οἴνου ἡδυπότοιο* Od. XV, 507; *βασιλεὺς* ille in scuto Achillis *ἐρίθοις*, in messe facienda adiutoribus, *δαῖτα* parari iubet Il. XVIII, 558; Ulixes mendicus Eumaeo dicit, se, si sibi coena detur (*εἴ μοι δεῖπνον δοῖεν* Od. XV, 316) velle procis Penelopae famulum esse. Idem iudicat Nitschius ad Od. III, 425 dicens *), *δημιοεργοῖς* pro mercede vulgo cibos praebitos esse. Verbum vero

---

*) Solche Leute scheint man gewöhnlich dadurch gelohnt zu haben, daß man ihnen zu essen gab (Il. XVIII, 560. Od. XV, 316 und die Hauptstelle XVII, 382, wo *καλεῖν* zu Tische laden).

καλεῖν Od. XVII, 382, quod ibidem Nitschius ad sensum illius loci non inepte interpretatur ad coenam invitare, sollemne videtur esse de δημιοεργοῖς arcessendis. Qui enim δημιοεργοῦ, hominis plerumque vagi, opera vellent uti, eum ad se, in domum suam vocabant. Sic Od. I, 416 Penelope ἐς μέγαρον καλέσασα θεοπρόπον, Od. III, 425 εἷς δ᾽ αὖ χρυσοχόον Λαερκέα δεῦρο καλέσθω ἐλθεῖν, Od. VIII, 43 καλέσασθε δὲ θεῖον ἀοιδόν. Ceterum monendum, ne quis illos locos, quos ibidem idem vir doctus ut testes sui de coena, mercede δημιοεργῶν, iudicii arcessit, Od. XV, 316, Il. XVIII, 560 de δημιοεργοῖς accipiat. Quae enim priore loco officia et negotia commemorantur πῦρ τ᾽ εὖ νηῆσαι, διά τε ξύλα δανὰ κεάσσαι, δαιτρεῦσαί τε καὶ ὀπτῆσαι καὶ οἰνοχοῆσαι longe absunt ab artibus δημιοεργῶν et pertinent ad ministros vel servos domesticos, quorum vicibus nonnunquam, ut postea videbimus, θεράποντες et κήρυκες funguntur. Alter locus manifesto ad ἐρίθους spectat, qui non sunt cum δημιοεργοῖς confundendi. Neque θῆτες ad eosdem referri possunt, id quod Nitschius eodem loco integrum videtur reliquisse, dicens: Ob solche Handwerker zu den Löhnern θῆτες gehören, wollen wir nicht entscheiden. Quorum et ἐρίθων et θητῶν quae fuerit ratio, nunc videre non erit alienum.

§. 4, De ἐρίθοις nobilissimus locus est idem ille, quem modo arcessivimus Il. XVIII, 550 — 560, ubi in scuto illo Achillis affabre facto Hephaestos

550. ἐν δ᾽ ἐτίθει τέμενος βαθυλήϊον· ἔνθα δ᾽ ἔριθοι
ἤμων, ὀξείας δρεπάνας ἐν χερσὶν ἔχοντες.
δράγματα δ᾽ ἄλλα μετ᾽ ὄγμον ἐπήτριμα πῖπτον ἔραζε,
ἄλλα δ᾽ ἀμαλλοδετῆρες ἐν ἐλλεδανοῖσι δέοντο,
τρεῖς δ᾽ ἄρ᾽ ἀμαλλοδετῆρες ἐφέστασαν· αὐτὰρ ὄπισθε
555. παῖδες δραγμεύοντες, ἐν ἀγκαλίδεσσι φέροντες,
ἀσπερχὲς πάρεχον· βασιλεὺς δ᾽ ἐν τοῖσι σιωπῇ
σκῆπτρον ἔχων ἑστήκει ἐπ᾽ ὄγμου, γηθόσυνος κῆρ.
κήρυκες δ᾽ ἀπάνευθεν ὑπὸ δρυῒ δαῖτα πένοντο,
βοῦν δ᾽ ἱερεύσαντες μέγαν ἄμφεπον· αἱ δὲ γυναῖκες,
560. δεῖπνον ἐρίθοισιν, λεῦκ᾽ ἄλφιτα πολλὰ πάλυνον.

ubi Schol. Ven. ἔριθοι· νῦν ἐργάται, γεωργοὶ παρὰ τὴν ἔραν τὴν γῆν· ἢ παρὰ τὸ ἐρίζειν ἐν τῷ ἔργῳ· ἔριθοι δὲ κυρίως οἱ ἐριουργοί, καταχρηστικῶς δὲ καὶ οἱ μισθοῦ ἐργαζόμενοι et Eust. p. 1162, 21. ἔριθοι δὲ οὐ μόνον αἱ ἐριουργοὶ γυναῖκες ἐν ἄλλοις παρὰ τὸ ἔριον, ἀλλ᾽ ἰδοὺ καὶ οἱ μισθοῦ ἐργαζόμενοι, ὡς

οἱ ἀμητῆρες ἐνταῦθα παρὰ τὴν ἔραν, ὡς δοκεῖ τοῖς παλαιοῖς. Sunt ergo hoc loco ἔριθοι operae in agro regis messem facientes. Quum grammatici, ut vidimus, nomen ἐρίθου vel ab ἔρα derivent, ita ut significet eum, qui opus in agris faciat, vel ad ἐρίζειν ἐν τῷ ἔργῳ referant, ita ut ἔριθοι vocentur, qui quasi certent in opere faciendo, certatim, diligentissime et studiosissime opus faciant — tertium etymon ἔριον non videtur ad hos ἐρίθους Homericos pertinere —; equidem alterum illud etymon probans, eos agricolas teniores esse crediderim, vicinos fortasse, qui rogati et vacui a negotiis in suis agellis, regi in messe facienda opitulentur. Quorum studium ut excitetur, quo diligentius et quasi certatim segetem metant, coena iis splendida apparatur, quasi praemium diligentiae et merces, atque rex ipse spectator adest. Quae de iis sententia mihi probari videtur altero loco Od. VI, 32, ubi Nausicaae somnianti visa est aequalis quaedam, filia Dymantis, suadere, ut mane vestes lavet, se ei velle συνέριθον esse, opitulari, operam suam in vestibus lavandis diligenter praestare:

> ἀλλ' ἴομεν πλυνέουσαι ἅμ' ἠοῖ φαινομένηφιν,
> καί τοι ἐγὼ συνέριθος ἅμ' ἕψομαι, ὄφρα τάχιστα
> ἐντύνεαι· ἐπεὶ οὔτοι ἔτι δὴν παρθένος ἔσσεαι.

Eustathius ad hunc locum p. 1550, 4 quum interpretetur: συνέριθος δὲ κυρίως ὥςπερ καὶ ἔριθος ἡ συνεργαζομένη ἔριον, καταχρηστικῶς δὲ καὶ ἡ ἁπλῶς συνεργαζομένη, mecum stare videtur, συνέριθον adiutricem esse dicens. Praeter illam coenam iis apparatam mercedis nulla fit mentio, nisi quod scholiastae illi eos interpretantur μισθοῦ ἐργαζομένους. Quum ergo ἔριθοι, quantum ex his duobus locis colligi potest, homines esse videantur non artis cuiusdam periti, neque quaestus faciendi studiosi, sed a suis negotiis vacui ad eadem ipsa negotia, quibus ipsi assueti sunt, socii et adiutores assumpti ab iis, cum quibus aliqua necessitudo intercedit, non possunt ad δημιοεργούς referri, praesertim quum nulla sit artium et negotiorum similitudo.

§. 5. Longe alia est ratio et conditio τῶν θητῶν. Hi sunt homines liberi quidem, sed infimae conditionis, qui, quum neque agros possideant, neque artem ullam sciant, unde sibi victum parare vitamque sustentare possint, inopia vel temporum iniquitate coacti ad ditiores confugerunt, ut mercede tenui conducti operam iis mercenariam praestent, non multum conditione a servis diversi,

ἐλεύθεροι μὲν, μισθῷ δὲ δουλεύοντες. ut Scholiasta ad Od. IV, 642 interpretatur, ubi Antinoos in contione Noëmonem, qui Telemacho navem suam dederat, interrogat, quales socios navales secum duxerit Telemachus, civesne Ithacenses iuniores delectos, an θῆτας et δμῶας suos,

νημερτές μοι ἔνισπε, πότ' ᾤχετο, καὶ τίνες αὐτῷ
κοῦροι ἕποντ'; Ἰθάκης ἐξαίρετοι ἢ ἑοὶ αὐτῷ
θῆτές τε δμῶές τε; δύναιτό κε καὶ τὸ τελέσσαι.

Il. XXI, 441 sq. Neptunus Apollinem ad pugnam provocans admonet illius temporis, quo Iovis iussu et quasi divinitate sua exuti coacti fuerint Laomedonti regi servire (θητεύειν), certa mercede conducti (μισθῷ ἐπὶ ῥητῷ)

οὐδέ νυ τῶνπερ
μέμνηαι, ὅσα δὴ πάθομεν κακὰ Ἴλιον ἀμφὶ,
μοῦνοι νῶϊ θεῶν, ὅτ' ἀγήνορι Λαομέδοντι
παρ' Διὸς ἐλθόντες θητεύσαμεν εἰς ἐνιαυτὸν,
μισθῷ ἐπὶ ῥητῷ· ὁ δὲ σημαίνων ἐπέτελλεν.

ubi Eust. p. 1246, 11. λέγει δὲ ἐκεῖνος (Aristophanes gramm.), ὅτι θῆτες οἱ ὄντες ἐλεύθεροι μισθοῦ ὑπουργοῦσιν, ὡς καὶ ὁ Ἀπόλλων, ὥςτε ταὐτόν ἐστι κατ' ἐκεῖνον θὴς καὶ μισθωτός. Quid in hac servitute iussu Laomedontis egerint, quasque iniurias perpessi fuerint, ipse Neptunus statim ait in iis, qui sequuntur, versibus: se enim, quum alter murum exstruxisset, armenta pavisset alter, mercede pacta privatos turpi modo et cum minis a Laomedonte esse dimissos. Od. XI, 489 Achilles, quam apud inferos degebat vitam abominans, se malle dicit pauperi agricolae servire (θητεύειν), quam regnare apud inferos

βουλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ
ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη,
ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.

Od. XVIII, 357 sq. Eurymachus mendicum illum Ulixem ludificans interrogat, num sibi θητεύειν et in agris opus facere velit, se ei mercedem, quae satis sit, cibum, vestimenta et calceos esse daturum.

ξεῖν', ἦ ἄρ κ' ἐθέλοις θητευέμεν, εἴ σ' ἀνελοίμην,
ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιῆς — μισθὸς δέ τοι ἄρκιος ἔσται —
αἱμασιάς τε λέγων, καὶ δένδρεα μακρὰ φυτεύων;
ἔνθα κ' ἐγὼ σῖτον μὲν ἐπηετανὸν παρέχοιμι,

εἵματα δ' ἀφιέσαιμι, ποσὶν θ' ὑποδήματα δοίην.

Hi sunt loci, in quibus haec vocabula θῆτες, θητεύειν in Homeri carminibus leguntur. Nusquam apparet, his θησὶν eam fuisse conditionem, quam Buttmannus lexil. II. p. 111 iis tribuat dicens, eos esse antiquos terrae incolas, in servitutem a victoribus redactos die Saffen = leibeigne Bauern. Deos enim illos agrum non possedisse, apertum est; neque illud ἐπάρουρος ad possessionem agri referri potest. Nam significat eum, qui in agris versatur, non qui agrum arat, colit eumque possidet. Ait etiam Eust. p. 1695, 37. ἐπάρουρος, ὁ γῆν ἐργαζόμενος εἴτε καὶ ἁπλῶς ἐπίγειος. Poll. III, 82 non inepte interpretatur θῆτας aiens: πελάται δὲ καὶ θῆτες ἐλευθέρων ἐστὶν ὀνόματα, διὰ πενίαν δ' ἐπ' ἀργυρίῳ δουλευόντων, praeterquam quod argentum mercedi datum ad Homerica tempora non pertinet. Pro mercede enim erant his θησί res ad miseram vitam degendam necessariae, cibus, vestimenta et calcei. Qualem mercedem pacti sibi fuerint Neptunus et Apollo, non narrat Homerus.

Ad eosdem θῆτας fortasse etiam spectant verba Melanthii caprarii Od. XVII, 223 sq. mendicum illum Ulixem stabulis suis custodem praeficere volentis.

τόν κ' εἴ μοι δοίης σταθμῶν ῥυτῆρα λιπέσθαι,
σηκοκόρον τ' ἔμεναι θαλλόν τ' ἐρίφοισι φορῆναι,
καί κεν ὀρὸν πίνων μεγάλην ἐπιγουνίδα θεῖτο.

Nescio an huc etiam ξεῖνοι illi referendi sint, qui Od. XIV, 102 Ulixis greges in continenti pascunt (ubi Eust. p. 1753, 16 ξείνους δὲ τοὺς μισθωτοὺς λέγει), fortasse θῆτες ἀλλόφυλοι peregrini, exteri, et quos Il. IX, 648. XVI, 59 ἀτιμήτους μετανάστας vocat poëta, contemptos inquilinos, extorres infimae conditionis, quos vel inopia coactos, vel sceleribus obnoxios patriam reliquisse et in aliena terra, civitate non accepta, opus aliis parva mercede facientes, vitam miseram degisse veri est simile. Veteres scholiastae eos cum μετοίκοις serioris aevi comparant. Schol. Ven. ad Il. XVI, 59 ἐδόκουν δὲ ἀτιμότεροι εἶναι οἱ μέτοικοι, ὡς διὰ μοχθηρίαν τρόπου τὰς ἰδίας καταλιπόντες. Eust. ad Il. IX, 648 p. 781, 18 Ἀτίμητον δὲ μετανάστην λέγει τὸν ἄτιμον μέτοικον, οἷα τῶν μετοίκων ὡς τὰ πολλὰ οὐκ ἐντίμων ὄντων, ὡς νόθων πολιτῶν, καθὰ καὶ ἡ Ἀττικὴ πολιτεία ἐδήλου, ἐν ᾗ ξένοι μὲν τὸ μηδὲν σχεδὸν ἦσαν, πεπολιτογραφημένοι δὲ ὅμως τῶν ἰθαγενῶν ἐδευτέρουν et ad Il. XVI, 59 p. 1045, 60. Ὅτι δὲ ἀτιμότερον τῶν αὐτοχθόνων ἐδόκουν οἱ μέτοικοι, ὡς τὰ πολλὰ διὰ μοχθηρίαν τρόπου τὰς ἰδίας καταλείποντες — μετανάστης

κυρίως ὁ μετὰ τὸ γεννηθῆναί που ἀναστατωθεὶς ἐκεῖθεν οὐκ ἂν ῥηθείη ἀφυῶς.

Alius etiam locus dignus videtur, qui hic in examen vocetur Il. XII, 433

ὥςε τάλαντα γυνὴ χερνῆτις ἀληθὴς,
ἥτε σταθμὸν ἔχουσα καὶ εἴριον, ἀμφὶς ἀνέλκει
ἰσάζουσ᾽, ἵνα παισὶν ἀεικέα μισθὸν ἄρηται.

ubi Schol. Ven. καὶ ἡ ταλαντεύουσα οὐκ ἔςι δέσποινα οἰκίας· ταύτην γὰρ οὐ λυπεῖ πολλάκις τὸ παρὰ βραχὺ ἴσον· ἀλλ᾽ οὐδὲ θεραπαινὶς· οὐ γὰρ αὗται ζητοῦσι τὸ ἀκριβὲς εἰς τοσοῦτον· ἅτε δὴ ὑπὸ τοῦ δεσπότου τρεφόμενοι καὶ οὐκ ἐν τῷ διαμαρτεῖν περὶ τὸν σταθμὸν κινδυνεύουσαι περὶ τροφὴν· ἡ δὲ τῇ ἀληθείᾳ χερνῆτις λίαν ἀκριβολογεῖται· ἔστι δὲ ἡ χερσὶ τὰ πρὸς ζῆν ποριζομένη· et ibid. ἡ ἀπὸ τῶν ἔργων τῶν ἰδίων χειρῶν ζῶσα, ὅ ἐστι μισθοῦ ἄλλοις ἐργαζομένη· Eust. p. 912, 37 χερνῆτις δὲ ἡ διὰ χειρῶν νήθουσα, ἔριον τυχὸν, ἀφ᾽ οὗ καὶ ἡ ἔριθος· ταύτης δέ ἐστι καὶ ἀρσενικὸν· φασὶ γοῦν οἱ παλαιοὶ χερνήτης, λάτρις, χειροτέχνης, ἀπὸ χειρὸς ζῶν, καὶ πάλιν· χερνήτης, πένης χειρόβιος. Haec enim mulier egena, vidua fortasse, lana et tela sibi et liberis suis victum tenuem quaerit. Quam etsi Eustathius ad ἐρίθους videtur referre, illud huius nominis etymon ἔριον spectans, equidem tamen iis non annumeraverim, sed potius inter θῆτας retulerim, quum inopia coacta et mercedis caussa lanam ducere videatur. Ad δημιοεργούς pertinere non potest, quum artis quodammodo divinae, quae propria est δημιοεργῶν, nulla sit ratio. Eadem est caussa, cur universos θῆτας δημιοεργοῖς annumerandos esse negem. Sunt quidem utrique homines liberi, qui opera vel arte sua quaestum facientes aliorum utilitati inserviunt, sed illi θῆτες, ut vitam suam sustentent, ditioribus operam suam vendunt et se in servitutem quandam dant ob eamque miseram vitae conditionem homines quodammodo contemptiores; hi δημιοεργοὶ liberi et genere et negotiis, ob maiorem artis cuiusdam quasi divinam peritiam maiorem in modum honorantur et coluntur, nulla inopia pressi, sed saepe divitiis insignes.

§. 6. His ergo δημιοεργοῖς quum poëta κήρυκας annumeret, eorum conditio similis fuerit necesse est. Erant vero κήρυκες, ut statim videbimus, homines ingenui, non regiae stirpis, sed e populo oriundi, ὑπηρέται βασιλικοί et δημόσιοι, regum ministri et apparitores in rebus et publicis et sacris, ita ut eorum opera, sicuti ceterorum δημιοεργῶν esset publica, aliorum utilitati inserviens. Ob hanc cum regibus muneris publici communionem et societatem eo-

rum auctoritas magna erat, ipsique ob prudentiam quandam et rerum, quibus intererant, peritiam maiorem et usum honorati et eadem, qua reges, sanctitatis opinione et Iovis religione tuti, eodemque, quo reges, σκήπτρῳ insignes. Praeterea regibus etiam in rebus privatis et foris et domi praesto erant. Sed ad singula transeamus.

§. 7. Ut inde ab etymologia nominis incipiam, vocabulum κήρυκος *) communi fere omnium, qui verborum radices et stirpes inquisiverunt, veterum grammaticorum et interpretum consensu [1]) ad γῆρυς [2]), γηρύειν refertur, ita ut eum significet, qui clamet, qui alta et clara voce utatur. Inde illud munus, quod maxime nomini eorum respondet, proprium et primarium videtur fuisse. Est illud munus τοῦ κηρύσσειν Il. XVII, 325, praeconis, quo fruuntur apud Homerum in contionibus. Reges enim, quando cum populo agere volebant, non ipsi, sed per praecones populum convocabant. Sic in castris ad Troiam positis Agamemnon Il. II, 50 et in Ithaca Telemachus Od. II. 6

κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισι κέλευσε
κηρύσσειν ἀγορήνδε καρηκομόωντας Ἀχαιούς·

---

*) Nom. sing. προπερισπωμένως κῆρυξ scribendum esse, grammatici veteres censent, ῡ in casibus obliquis longum in nom. sing. corripi docentes, recentiores, vocalem natura longam et in nominativo retineri rati, παροξύτονον volunt esse. Equidem in hac commentatione circumflexum retinui in veterum grammaticorum scholiis, ceterum acutum, Spitzneri auctoritatem secutus, qui ad Iliad. II. 184 ait: „κήρυξ „Εὐρυβάτης. Properispomenon et grammatici censent nomen κῆρυξ et „libri plerique accedunt. Recentiores ultimam et in nominativo na„tura longam esse rati vulgo scribunt κήρυξ. cf. Markland ad Eur. „Suppl. 398. Herm. ad Soph. O. T. 746. Buttm. in Gr. ampl. §. 41. „ann. 12. Veteres quam tulere legem nominibus in ῑξ et ῡξ exeun„tibus, non migrandam censent Schäfer ad poët. gnom. p. 315, Goett„ling ad Theod. gr. p. 238 sq., quibus accedunt Et. Mg. p. 511, 49. „Drac. de metr. 44, 5. 56, 8. Sed a norma omnibus propemodum „recepta in re statis ambigua deflectere nolui.“ —

Ceteras annotationes vide in calce.

οἱ μὲν ἐκήρυσσον, τοὶ δ' ἠγείροντο μάλ' ὦκα.

et quum tempus pugnae esset, Agamemnon Il. II, 442 sq.

αὐτίκα κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισι κέλευσεν
κηρύσσειν πόλεμόνδε καρηκομόωντας Ἀχαιούς.

Item per praecones convocantur Phaeaces Od. VIII, 7 sq.

ἡ δ' ἀνὰ ἄστυ μετῴχετο Παλλὰς Ἀθήνη
εἰδομένη κήρυκι δαΐφρονος Ἀλκινόοιο,
νόστον Ὀδυσσῆϊ μεγαλήτορι μητιόωσα·
καί ῥα ἑκάστῳ φωτὶ παρισταμένη φάτο μῦθον.
Δεῦτ' ἄγε, Φαιήκων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες,
εἰς ἀγορὴν ἰέναι.

et Pylii Il. XI, 685.

κήρυκες δ' ἐλίγαινον ἅμ' ἠοῖ φαινομένηφι,
τοὺς ἴμεν, οἷσι χρεῖος ὀφείλετ' ἐν Ἤλιδι δίῃ·

Per eosdem praecones cogitur consilium regum silentio noctis Il, IX, 9 sq.

Ἀτρείδης δ' ἄχεϊ μεγάλῳ βεβολημένος ἦτορ
φοίτα κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισι κελεύων,
κλήδην εἰς ἀγορὴν κικλήσκειν ἄνδρα ἕκαστον
μηδὲ βοᾶν.

Sed non solum convocabant populum (κηρύσσειν, λιγαίνειν, κικλήσκειν), verum etiam in contionibus ipsis officia quaedam praestabant regibus. Tumultuantem enim et clamantem populum sedabant et silere iubebant (ἐρητύειν, σιωπᾶν κελεύειν), audientiaque facta regibus contionaturis σκῆπτρον illud, regiae dignitatis et publicae auctoritatis insigne, quo et ipsi ornati erant, in manus tradebant. Sic Il. II, 95 sq. τετρήχει δ' ἀγορή, ὑπὸ δὲ στεναχίζετο γαῖα,

λαῶν ἱζόντων, ὅμαδος δ' ἦν· ἐννέα [3]) δέ σφεας
κήρυκες βοόωντες ἐρήτυον, εἴποτ' ἀϋτῆς
σχοίατ', ἀκούσειαν δὲ Διοτρεφέων βασιλήων.
σπουδῇ δ' ἕζετο λαός, ἐρήτυθεν δὲ καθ' ἕδρας,
παυσάμενοι κλαγγῆς· ἀνὰ δὲ κρείων Ἀγαμέμνων
ἔστη, σκῆπτρον ἔχων.

Il, II, 278. ἀνὰ δὲ πτολίπορθος Ὀδυσσεὺς
ἔστη, σκῆπτρον ἔχων· παρὰ δὲ γλαυκῶπις Ἀθήνη
εἰδομένη κήρυκι σιωπᾶν λαὸν ἀνώγει,
ὡς ἅμα θ' οἱ πρῶτοί τε καὶ ὕστατοι υἷες Ἀχαιῶν
μῦθον ἀκούσειαν καὶ ἐπιφρασσαίατο βουλήν.

Il. XVIII, 497 sq, in scuto Achillis γέροντες in foro iudicia exercent, κηρύκων σκῆπτρα [4]) in manibus tenentes eorumque opera in sedando populo usi

λαοὶ δ' εἰν ἀγορῇ ἔσαν ἀθρόοι· ἔνθα δὲ νεῖκος
ὠρώρει· δύο δ' ἄνδρες ἐνείκεον εἵνεκα ποινῆς
ἀνδρὸς ἀποφθιμένοιο· ὁ μὲν εὔχετο πάντ' ἀποδοῦναι,
500 δήμῳ πιφαύσκων· ὁ δ' ἀναίνετο μηδὲν ἑλέσθαι.
ἄμφω δ' ἱέσθην ἐπὶ ἵστορι πεῖραρ ἑλέσθαι.
λαοὶ δ' ἀμφοτέροισιν ἐπήπυον, ἀμφὶς ἀρωγοί·
κήρυκες δ' ἄρα λαὸν ἐρήτυον· οἱ δὲ γέροντες
εἵατ' ἐπὶ ξεστοῖσι λίθοις, ἱερῷ ἐνὶ κύκλῳ·
505 σκῆπτρα δὲ κηρύκων ἐν χέρσ' ἔχον ἠεροφώνων.

Item, quum Patrocli in honorem ludi funebres celebrarentur et de praemio certarent Menelaus et Antilochus Il. XXIII, 566

τοῖσι δὲ καὶ Μενέλαος ἀνίστατο θυμὸν ἀχεύων
Ἀντιλόχῳ ἄμοτον κεχολωμένος· ἐν δ' ἄρα κῆρυξ
χερσὶ σκῆπτρον ἔθηκε, σιωπῆσαι δ' ἐκέλευσεν
Ἀργείους, ὁ δ' ἔπειτα μετηύδα ἰσόθεος φώς.

Sic Telemachus Od. II, 37 contionaturus a praecone Peisenore sceptrum accipit

στῆ δὲ μέσῃ ἀγορῇ· σκῆπτρον δέ οἱ ἔμβαλε χειρὶ
κῆρυξ Πεισήνωρ, πεπνυμένα μήδεα εἰδώς.

Hoc sceptro etiam in dirimendo certamine singulari, quod Aiax et Hector inierant, Il. VII, 266 utuntur praecones Talthybius et Idaeus

μέσσῳ δ' ἀμφοτέρων σκῆπτρα σχέθον.

Hoc munere contionis convocandae et sedandae, regibusque audientiae faciendae ut bene fungi possent, claritate et magnitudine vocis [5]) vel maxime praeconibus opus erat. Inde plurima, quae iis tribuuntur a poëta epitheta ad hanc vocis virtutem pertinent. Vocantur enim λιγύφθογγοι [6]) Od. II, 6. Il. II, 50. 442. IX, 10. XXIII, 39, ἠερόφωνοι [7]) Il. XVIII, 505, καλήτωρ [8]) Il. XXIV, 577, ἀστυβοώτης [8]) Il. XXIV, 701, θεῷ ἐναλίγκιος αὐδὴν [9]) Il. XIX, 250, ἠπύτα [10]) Il. VII, 384. Eodem videtur referri debere κῆρυξ Ἠπυτίδης Il. XVII, 322 ἀλλ' αὐτὸς Ἀπόλλων Αἰνείαν ὤτρυνε, δέμας Περίφαντι ἐοικὼς κήρυκι Ἠπυτίδῃ, ubi Eust. p. 1108, 36. Περίφας κῆρυξ καλεῖται Τρωϊκός τις ἀνὴρ διὰ τὸ περισσῶς φωνεῖν· διὸ λόγῳ φερωνυμίας καὶ Ἤπυτος πατὴρ αὐτῷ παρὰ τὸ ἠπύειν, ὅ ἐστι φωνεῖν. Habet enim quidem vox Ἠπυτίδης formam patronymici, ut sit quasi filius Ἠπύτου cuiusdam: tamen non sine caussa

conieceris, hunc patrem eadem ratione a poëta fictum et a virtute vel proprietate quadam id genus hominum nominatum esse, qu. Phemium Od. XXII, 330 Τερπιάδην [11]) ἀοιδόν, patrem Pherecli, qui Paridi naves eedificaverat, Il. V, 59 τέκτονα Ἁρμονίδην [12]), patrem Euchenoris cuiusdam Il. XIII, 663 μάντιν Πολύϊδον, patrem Amphiali Od. VIII, 114 Polyneum Τεκτονίδην. Sunt quidem veteres grammatici in eiusmodi ἐπωνυμίαις vel φερωνυμίαις — ita enim vocant hanc nominis ab arte vel negotio repetendi rationem (τὰ ὀνόματα ἀπὸ τοῦ ἑτοίμου λαμβάνειν Schol. Ven. ad Il. IX, 137, ὄνομα ἐμφερὲς τοῖς πράγμασι Eust. p. 1567, 57) — investigandis et reperiendis nimis arguti et saepe mirum quantum inepti: tamen negari nequit, saepe non ita temere nomina data esse a poëta [13]), imprimis ea nomina propria, quae non fando audita vel, ut ita dicam, historia tradita in carmina sua recipere coactus fuerit, sed ex ingenio suo finxerit. Quum enim non solum esset magna nominum copia, qua ut libuit, uti licuit, sed etiam infinita nominis fingendi potestas, id potissimum nomen a poëta electum esse, quod maxime negotio, arti, naturae, ingenio hominis responderet, consentaneum est.

§. 8. Sed ad κηρύκων munera redeamus. Regibus igitur non solum in contionibus apparebant, sed etiam in sacris sollemnibus publice faciendis eorum opera necessaria videbatur esse. Bene haec munera Eustathius complectitur, quum dicit ad Il. XVII, 323. p. 1108, 38 ἔργον δὲ τέχνης κηρύκων θυσίαις τε καὶ σπονδαῖς παντοίαις ἐπιστατεῖν καὶ ἀγορὰς ἀθροίζειν καὶ τοὺς λαλήσοντας ἐξεγείρειν καὶ προςοχὴν ἐμποιεῖν προβοῶντας τὸ ἀκούετε λεῴ ἢ λαοί etc. Sic quum libro tertio Iliadis Paris et Menelaus certamen singulare inire vellent his conditionibus, ut victor Helenam acciperet paxque fieret inter Troianos et Graecos, quumque foedus sollemni more sacrificio esset sanciendum, κηρύκων opera est adhibita. Quae qualis fuerit, optime ex ipsis Homeri verbis cognoscemus. Legimus enim Il, III,

v. 116 Ἕκτωρ δὲ προτὶ ἄστυ δύω κήρυκας ἔπεμπε,
καρπαλίμως ἄρνας τε φέρειν, Πρίαμόν τε καλέσσαι.
αὐτὰρ ὁ Ταλθύβιον προΐει κρείων Ἀγαμέμνων
νῆας ἔπι γλαφυρὰς ἰέναι, ἠδ᾽ ἄρν᾽ ἐκέλευεν
οἰσέμεναι·

v. 245 κήρυκες δ᾽ ἀνὰ ἄστυ θεῶν φέρον ὅρκια πιστὰ,
ἄρνε δύω καὶ οἶνον ἐύφρονα, καρπὸν ἀρούρης,

ἀσκῷ ἐν αἰγείῳ· φέρε δὲ κρητῆρα φαεινὸν
κῆρυξ Ἰδαῖος ἠδὲ χρύσεια κύπελλα·
ὤτρυνεν δὲ γέροντα παριστάμενος ἐπέεσσιν·
Ὄρσεο, Λαομεδοντιάδη! καλέουσιν ἄριστοι
Τρώων θ᾽ ἱπποδάμων καὶ Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων
ἐς πεδίον καταβῆναι, ἵν᾽ ὅρκια πιστὰ τάμητε·

et v. 268. ἀτὰρ κήρυκες ἀγαυοὶ
ὅρκια πιστὰ θεῶν σύναγον, κρητῆρι δὲ οἶνον
μίσγον, ἀτὰρ βασιλεῦσιν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν·
Ἀτρείδης δὲ ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν,
ἥ οἱ πα;ὰ ξίφεος μέγα κουλεὸν αἰὲν ἄωρτο,
ἀρνῶν ἐκ κεφαλέων τάμνε τρίχας· αὐτὰρ ἔπειτα
κήρυκες Τρώων καὶ Ἀχαιῶν νεῖμαν ἀρίστοις.

Hoc loco ergo κήρυκες Priamum regem arcessunt, hostias immolandas, vinum, pocula et quae fortasse aliae res necessariae erant, afferunt, vinum temperant, malluvium in manus regum, qui intererant sacrificio, infundunt, capillosque hostiae desectos inter reges distribuunt, ut brevi dicam, omnia, quae ad sollemnia sacra rite facienda necessaria erant, parant regibusque operantibus ad manus sunt, operam suam praestant. Neque minus sollemne sacrum Agamemnon facit, quum iureiurando affirmare vult, se Briseidem intactam redditurum Achilli Il. XIX. Ibi quoque Talthybius κῆρυξ aprum immolandum adducit, Agamemnonique in sacrificio apparet.

v. 196. Ταλθύβιος δέ μοι ὦκα κατὰ στρατὸν εὐρὺν Ἀχαιῶν
κάπρον ἑτοιμασάτω, ταμέειν Διΐ τ᾽ Ἠελίῳ τε

v. 250. Ταλθύβιος δὲ, θεῷ ἐναλίγκιος αὐδὴν
κάπρον ἔχων ἐν χερσὶ, παρίστατο ποιμένι λαῶν.
Ἀτρείδης δὲ ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν,
ἥ οἱ πὰρ ξίφεος μέγα κουλεὸν αἰὲν ἄωρτο,
κάπρου ἀπὸ τρίχας ἀρξάμενος, Διῒ χεῖρας ἀνασχὼν
εὔχετο, etc.

v. 266 Ἠ, καὶ ἀπὸ στόμαχον κάπρου τάμε νηλέϊ χαλκῷ·
τὸν μὲν Ταλθύβιος πολιῆς ἁλὸς ἐς μέγα λαῖτμα
ῥῖψ᾽ ἀποδινήσας, βόσιν ἰχθυσιν.

Eodem modo in Ithaca in sollemnibus Apollinis sacris Od. XX, 216 victimas pompa per urbem ducunt κήρυκες.

κήρυκες δ᾽ ἀνὰ ἄστυ θεῶν ἱερὴν ἑκατομβὴν
ἦγον·[14])

Itaque, quum eorum in sacris publice faciendis opera necessaria videretur esse, factum est, ut, quum in conviviis et epulis, in hospitibus excipiendis et dimittendis, antequam dormitum iretur aliaque occasione data manibus lotis libare et precibus veniam deorum implorare fas esset, praecones, si qui aderant, malluvium praeberent, vinum temperarent temperatumque ministrarent. Sic epulaturis procis vinum temperant Od. I, 109.

κήρυκες δ' αὐτοῖσι καὶ ὀτρηροὶ θεράποντες
οἱ μὲν ἄρ' οἶνον ἔμισγον ἐνὶ κρητῆρσι καὶ ὕδωρ,

malluviumque in manus infundunt Od. I, 146

τοῖσι δὲ κήρυκες μὲν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν.

Item Pyli Od. III, 338, quum Nestor, antequam dormitum it, Poseidoni aliisque diis libare vult. Eodem modo procis vesperi, antequam domos suas eunt cubitum, libare volentibus Od. XVII, 423 vinum temperatum praebet Mulios *κήρυξ*

τοῖσιν δὲ κρητῆρα κεράσσατο Μούλιος ἥρως,
κήρυξ Δουλιχιεὺς· θεράπων δ' ἦν Ἀμφινόμοιο,
νώμησεν δ' ἄρα πᾶσιν ἐπισταδὸν· οἱ δὲ θεοῖσιν
σπείσαντες μακάρεσσι, πίον μελιηδέα οἶνον.

Quum Ulixes in domum Alcinoi regis supplex venisset et genua Aretae reginae amplexus opem eius implorasset, rex, a sene Echeneo monitus, Iovi libaturus Pontonoum praeconem vinum temperare convivisque praebere iubet Od. VII, 178

καὶ τότε κήρυκα προςέφη μένος Ἀλκινόοιο·
Ποντόνοε κρητῆρα κερασσάμενος μέθυ νεῖμον
πᾶσιν ἀνὰ μέγαρον, ἵνα καὶ Διῒ τερπικεραύνῳ
σπείσομεν, ὅςθ' ἱκέτῃσιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.
Ὣς φάτο· Ποντόνοος δὲ μελίφρονα οἶνον ἐκίρνα,
νώμησεν δ' ἄρα πᾶσιν, ἐπαρξάμενος δεπάεσσιν.

Fere eadem verba leguntur mutatis mutandis Od, XIII, 50 sq. ubi Alcinous in eo est, ut Ulixem in patriam dimittat. — Simili ratione ducibus Graecorum, qui antequam Ulixem, Aiacem et Phoenicem legatos ad placandam Achillis iram mittant, preces ad Iovem mittere volunt, ut sibi propitius sit Achillemque mitiget, praecones — Hodios et Eurybates videntur esse — aquam in manus infundunt Il. IX, 171 sq.

φέρτε δὲ χερσὶν ὕδωρ, inquit Nestor, *εὐφημῆσαί τε κέλεσθε*
ὄφρα Διῒ Κρονίδῃ ἀρησόμεθ', αἴ κ' ἐλεήσῃ.

Ὣς φάτο· τοῖσι δὲ πᾶσιν ἑαδότα μῦθον ἔειπεν.
αὐτίκα κήρυκες μὲν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν.

Absentibus praeconibus, vel aliam ob caussam, quam expedire mihi non contigit, domi et alii ministri, vel θεράποντες, vel δμωαὶ sive ἀμφίπολοι, eorum in malluvio praebendo vicibus funguntur. Sic Od. IV, 216 Spartae ante coenam Asphalion, θεράπων Menelai, aquam in manus infundit. Idem faciunt ἀμφίπολοι Od. I, 136. IV, 52. VII, 172. X, 368. XV, 135. XVII, 91.

§. 9, Quum ergo sacris interessent regibusque et in publicis et in sacris rebus praesto essent, factum est, ut auctoritatem quandam publicam et quasi sacrosanctam haberent, quae tanta erat, ut nusquam, nisi forte a Cyclopibus gentibusque omnis iuris publici et divini contemptricibus, negligeretur vel laederetur, verum vel impotentissimo et iratissimo regi Achilli gravissima esset. Quum enim iussi ab Agamemnone Briseidem abducere vellent Talthybius et Eurybates praecones timidique atque regis iram metuentes ad tentorium accederent, Achilles, quanquam in contione Agamemnoni ipsi, ferrum iam stringens, manus se illaturum esse minatus erat, tamen eorum veritus auctoritatem puellam abducendam tradidit Il. I, 320 sqq. Originem divinam, in qua huius auctoritatis et sanctitatis caussam Eustathius [15]) positam vult, ortos eos esse dicens ab Herme, haud dubie illam τῶν Κηρύκων sive Κηρυκιδῶν gentem, Athenis postea nobilem, in animo habens, etsi Homerus ipse non novit, tamen epitheta quaedam, quae poëta iis tribuit, documento nobis esse possunt, illam κηρύκων sanctitatis opinionem eadem deorum religione niti, qua obstricti homines illius aetatis heroicae credebant, reges ut a Iove ortos δίους, διογενεῖς, διοτρεφεῖς, sub Iovis tutela esse, eumque, qui eos laesisset, a diis ad supplicium trahi. Vocantur enim κήρυκες a poëta δῖοι Il. XII, 342. θεῖοι [16]) Il. IV, 192. X, 315, Διὶ φίλοι [17]) Il. VIII, 517, Διὸς ἄγγελοι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν [18]) Il. I, 334. VII, 274. Quum ergo κήρυκας violare nefas haberetur, factum est, ut ipsi, quasi iure gentium tuti, caduceatorum et legatorum muneribus fungerentur, vel legatos ipsosque reges ad hostes euntes, ut eos sanctitate et auctoritate sua ab iniuriis redderent tutos, comitarentur, ipsi, ut verisimile est, sceptro illo insignes. Sic Il. VIII, 381 sq. Idaeus, Troianorum κῆρυξ, de induciis ad mortuos sepeliendos faciendis ad Achivos

mittitur; Ulixes Od. IX, 95. X, 102, quum Lotophagorum Laestrygonumque terras appulisset, speculatoribus comitem addit κήρυκα, ipseque, quum in insulam Aeoli repulsus iterum opem regis ventorum implorare vellet, κήρυκα secum ducit Od. X, 59, eius sub tutela se suosque speculatores tutiores fore credens. Inde quum colligi possit, in omnibus expeditionibus κήρυκας in numero sociorum fuisse, ut, quum necesse esset, operam suam duci suo praestarent, auctoritateque et sanctitate sua socios tutarentur, verimile mihi videtur esse, eum praeconem, quem Telemachi socii, ex itinere Pylio reversi, ad Penelopen reginam de felici filii reditu nuncium mittunt Od. XVI, 328, itineris socium fuisse, non post reditum ex urbe arcessitum, vel obvium illud mandatum accepisse. Eadem Iovis religio mihi videtur caussa fuisse, cur Priamus Il. XXIV, quum corpus filii Hectoris redempturus in castra Graecorum ad Achillem ire vellet, praeconem, eundem illum Idaeum, quo ab iniuriis tutior esset, comitem sibi iuberet esse. Ob eandem auctoritatem publicam Ulixem, Aiacem et Phoenicem, legatos ab Agamemnone ad Achillem missos, ut iram eius placarent eumque sibi reconciliarent, duo κήρυκες Eurybates et Hodios sequuntur Il. IX, 170 sq.; certamen singulare Hectoris et Aiacis dirimunt Idaeus et Talthybius κήρυκες Il. VII, 273 sq.; mittuntur praecones ab Hectore in urbem Il. VIII, 517 sq., ut moenia diligenter a civibus custodiantur, edicturi; circumfert κήρυξ sortem, quae ex Agamemnonis galea exciderat, quum sortirentur duces, quem Hectori ad certamen singulare fortissimum Graecorum provocanti opponerent parem Il. VII, 138. Inde etiam alia regum suorum mandata perferunt foris. Sic Il. XII, 342 sq. Thootes κήρυξ iussu Menesthei regis Aiaces ad auxilium contra Lyciorum appropinquantium impetum ferendum, Il. IV, 192 sq. Talthybius iussu Agamemnonis Machaonem artis medicae peritum arcessit, ut Menelao, sagitta Pandari vulnerato, medeatur; Il. XXIII, 897 idem Talthybius praemium illud, quod honoris caussa Agamemnon ab Achille acceperat, in tentorium regis fert; Il. II, 183 Eurybates Ulixem per ordines Achivorum currentem eosque, quum in patriam redituri ad naves properent, monentem, ut maneant, sequitur vestem, quam abiecerat rex, deferens. Quum reges Phaeacum Ulixem Od. VIII, 399 sqq. et proci Penelopen Od. XVIII, 291 sq. donare vellent, κήρυκας ad dona ferenda mittunt

δῶρα δ' ἄρ' οἰσέμεναι πρόεσαν κήρυκα ἕκαστος.

§. 10. Quae quum ita essent, mirum esse non potest, eos etiam privatim et in rebus domesticis multa regibus praestitisse officia, quae nobis quidem, qui nostrae aetatis sunt mores et instituta, non ad ministros regum publicos, quales haud dubie proprie fuerunt κήρυκες, sed ad privatos et domesticos servos videntur pertinere. Erant quidem illis temporibus, quae nobis carminibus suis depinxit Homerus, servi domestici οἰκῆες, mares δμῶες et feminae δμωαὶ, ἀμφίπολοι, quorum curae res domesticae mandatae erant: sed, quum servorum τῶν δμώων numerus exiguus esset, eorumque opera vel maxime in agris colendis et in gregibus pascendis uterentur domini, ἀμφίπολοι vero non ad omnia ministeria idoneae viderentur esse, iidem homines ingenui, qui foris in comitatu regis esse eique apparere solebant, θεράποντες et κήρυκες, etiam domi officia, si quae opus erant, regibus et hospitibus domus regiae praestabant, quae neque ita certa erant, ut aliis non mandarentur, neque alia aliis honestiora. Nullum enim illis temporibus negotium turpe habebatur, omniaque aeque honesta, dummodo scite et bene peragerentur. In prioribus §. 8 et §. 9 iam vidimus praecones libantibus praesto fuisse et mandata quaedam, etiam quae non ad rempublicam, ut ita dicam, pertinerent, pertulisse. Sed praeter ea quae iam cognovimus, haec alia poëta iis tribuit ministeria. In tabula illa scuti Achilli ab Hephaesto affabre facti κήρυκες una cum ancillis coenam apparant messoribus ἐρίθοις Il. XVIII, 588; Medon κήρυξ ancillas vocat, ut procis coenam parent Od, IV, 582; idem Medon procos ad coenam iam tempestivam invitat Od. XVII, 170; κήρυξ quidam Eumaeo sero intranti cibum apponit Od. XVII, 335; apud Phaeaces Pontonous κήρυξ carnis portionem, quam Ulixes Demodoco ἀοιδῷ honoris gratia dare vult, huic defert Od. VIII, 474 eidemque Demodoco, quem iussu Alcinoi regis domo arcessierat Od. VIII, 47, 62 multa officia praestat, quae melius ex ipsis poëtae versibus cognoscemus Od. VIII, 62 sqq.

κήρυξ δ' ἔγγυθεν ἦλθεν, ἄγων ἐρίηρον ἀοιδὸν,
τὸν πέρι Μοῦσ' ἐφίλησε, δίδου δ' ἀγαθόν τε κακόν τε·
ὀφθαλμῶν μὲν ἄμερσε, δίδου δ' ἡδεῖαν ἀοιδήν·
65. τῷ δ' ἄρα Ποντόνοος θῆκε θρόνον ἀργυρόηλον
μέσσῳ δαιτυμόνων, πρὸς κίονα μακρὸν ἐρείσας·
κὰδ δ' ἐκ πασσαλόφι κρέμασεν φόρμιγγα λίγειαν,

αὐτοῦ ὑπὲρ κεφαλῆς, καὶ ἐπέφραδε χερσὶν ἑλέσθαι
κήρυξ· πὰρ δ' ἐτίθει κάνεον, καλήν τε τράπεζαν,
70. πὰρ δὲ δέπας οἴνοιο, πιεῖν, ὅτε θυμὸς ἀνώγοι.

et quum post coenam, inter quam Demodocus cecinerat, Phaeaces in arenam descenderent, certamina iuvenum spectaturi

v. 106. κὰδ δ' ἐκ πασσαλόφι κρέμασεν φόρμιγγα λίγειαν,
Δημοδόκου δ' ἕλε χεῖρα, καὶ ἔξαγεν ἐκ μεγάροιο
κήρυξ· ἦρχε δὲ τῷ αὐτὴν ὁδὸν, ἥπερ οἱ ἄλλοι
Φαιήκων οἱ ἄριστοι, ἀέθλια θαυμανέοντες.

et v. 256 quum Demodocus canere iuberetur, neque citharam ad manus haberet ὦρτο δὲ κήρυξ
οἴσων φόρμιγγα γλαφυρὴν δόμου ἐκ βασιλῆος

et v. 471 quum rursus ad epulas in aedes regias redirent
κήρυξ δ' ἐγγύθεν ἦλθεν, ἄγων ἐρίηρον ἀοιδὸν,
Δημόδοκον, λαοῖσι τετιμένον· εἷσε δ' ἄρ' αὐτὸν
μέσσῳ δαιτυμόνων, πρὸς κίονα μακρὸν ἐρείσας.

Simili modo et in domo Ulixis κήρυξ Phemio ἀοιδῷ Od. I, 153 citharam, ut canat, in manus tradit. Spartae Telemachum et Peisistratum ad cubile Od. IV, 301, in Scheria Ulixem ad navem Od. XIII, 64 comitatur κήρυξ. In castris Graecorum Il. XXIII, 38 κήρυκες Achilli ex proelio redeunti aquam calidam ad lavandum parare iubentur. Idaeus κήρυξ cum Priamo in castra Graecorum eunte equos currui iungit Il. XXIV, 281 alterumque currum regit v. 325.

Ob haec, quae foris et domi privatim praestabant regibus officia, etiam θεράποντες vocantur Il, I, 321. Od. XVIII, 423. Hi enim sunt homines necessitudine quadam cum regibus coniuncti, qui et ipsi saepe nobiles et regiae stirpis, beneficiis vel admiratione virtutum vel animi quadam propensione et voluntate ducti, sese ad reges quosdam, virtutibus et potentia conspicuos, applicaverunt, ita ut clientium quasi similes, reges illos colendos atque observandos sibi esse censerent, iisque et belli et domi operam suam praestare quantumque possent gratum facere studerent. [19]) Similis necessitudo munerum et familiaritas quaedam intercedebat inter reges et κήρυκας, ob eamque cari erant regibus et honorati, ut Eurybates Ulixi Od. XIX, 247.

Εὐρυβάτης δ' ὄνομ' ἔσκε· τίεν δέ μιν ἔξοχον ἄλλων
ὧν ἑτάρων Ὀδυσεὺς, ὅτι οἱ φρεσὶν ἄρτια ᾔδη.

Medon procis Od. XVII, 172 ὅς γάρ ῥα μάλιστα
ἥνδανε κηρύκων καί σφιν παρεγίγνετο δαιτί.

eorumque auctoritas etiam apud reges ipsos, quibus apparebant, magna erat. Testis est Periphas Il. XVII, 323 κήρυξ Anchisae

ἀλλ᾽ αὐτὸς Ἀπόλλων
Αἰνείαν ὤτρυνε δέμας Περίφαντι ἐοικώς,
κήρυκι Ἠπυτίδῃ, ὅς οἱ παρὰ πατρὶ γέροντι
κηρύσσων γήρασκε, φίλα φρεσὶ μήδεα εἰδώς.

Hic enim κήρυξ patris Anchisae, senex iam, Aeneam segnius pugnantem videns hortatur, ut fortem se praestet. Latet quidem Apollo sub persona Periphantis et Aeneas ipse statim deum agnoscit, tamen consentaneum est, Apollinem huius senis personam non induturum fuisse, nisi eius apud Aeneam auctoritas maxima fuisset. Solent enim apud Homerum dii, quando humana figura assumpta cum hominibus versantur, eius hominis staturam, vocem, habitum induere, quem adesse, loqui, agere verisimillimum est. Sic, ut pauca afferam exempla, Athene Il. XXII, 227 Δηϊφόβῳ εἰκυῖα δέμας καὶ ἀτειρέα φωνήν Hectori animum iniicit, ut Achilli tergum dare desinat et decertare velit. Cui Hector, deum non agnoscens, sed fratrem secum stare opinans, laeto animo respondet, tunc maxime se cognoscere, quantus fratris in se amor sit, quum ipsum in illo discrimine deserere nolit. Potuitne poëta aptiorem inducere personam, quam fratrem Hectoris? Simili ratione Od. VIII, 8 Athene εἰδομένη κήρυκι convocat contionem Phaeacum; Iris Il. II, 791 sq. Troianis nunciat, exercitum Graecorum appropinquare

εἴσατο δὲ φθογγὴν υἷι Πριάμοιο Πολίτῃ,
ὃς Τρώων σκοπὸς ἷζε, ποδωκείῃσι πεποιθὼς,
τύμβῳ ἐπ᾽ ἀκροτάτῳ Αἰσυήταο γέροντος,
δέγμενος, ὁππότε ναῦφιν ἀφορμηθεῖεν Ἀχαιοί.

Confer praeterea Od. I, 105. II, 268. VI, 22. VII, 20. XIII, 222. XXII, 206. Il. II, 20. III, 121. 386. V, 784. 835. XIII, 45. 216. XVI, 715. XVIII, 555. XXIV. 347 etc.

§, 11. Haec omnia munera et publica et privata ut bene peragere possent, singulari κήρυξι prudentia opus erat: unde vocantur πεπνυμένοι Il. II, 276, πεπνυμένα μήδεα εἰδότες Il. VII, 278. Od. II, 38, πυκινά φρεσὶ μήδε᾽ ἔχοντες Il. XXIV, 282. 673, δαΐφρονες[20]) Il. XXIV, 325. Quam prudentiam quin sibi longo usu comparave-

rint, dubitari nequit. Nescio, an illa *δρηστοσύνη* Od. XV, 321 etiam ad praecones referri possit. Ulixes enim ibi se in procorum ministerio esse velle Eumaeo dicit

v 319 *Ἑρμείαο ἕκητι διακτόρου, ὅς ῥά τε πάντων*
ἀνθρώπων ἔργοισι χάριν καὶ κῦδος ὀπάζει,
δρηστοσύνῃ οὐκ ἄν μοι ἐρίσσειε βροτὸς ἄλλος,
πῦρ τ' εὖ νῆσαι, διά τε ξύλα δανὰ κεάσσαι
δαιτρεῦσαί τε καὶ ὀπτῆσαι καὶ οἰνοχοῆσαι,
οἷά τε τοῖς ἀγαθοῖσι παραδρώωσι χέρηες.

Quum enim omnes voces huius familiae *δρᾶν* Od. XV, 317, *παραδρᾶν* Od. XV, 324, *ὑποδρᾶν* Od. XV, 333, *δρηστῆρες* Od. XVI, 248. XVIII, 76. XX, 160, *ὑποδρηστῆρες* Od. XV, 330, *δρήστειραι* Od. X, 349. XIX, 345 ad servos et ministros dextros et officiosos domesticos pertineant, praecones multa et varia officia praestent regibus privatim et in rebus domesticis, non ineptum videri potest, hanc officiositatem, quanquam illa, quorum se gnarum esse dicit Ulixes, negotia obire non solent praecones, etiam *κήρυξι* tribuere, praesertim quum Hermae sit donum. Ita enim similitudo quaedam etiam doctrinae et institutionis divinae inter *κήρυκας* et ceteros *δημιοεργοὺς* efficitur, quibus §. 2 artes *μαντοσύνην, τεκτοσύνην, ἀοιδήν* et *ἰατρικὴν* beneficio deorum datas esse vidimus.

§. 12. Ceterum *κηρύκων* munus et ordinem honestum fuisse, testantur quum alia, quae iam vidimus, tum epitheta *ἀγαυοὶ* Il. III, 268. Od. VIII, 418. 471, *ἥρως* Od. XVIII, 423, quae aliis hominibus, nisi genere vel virtutibus quibusdam conspicuis non tribuuntur. *Δημιοεργοῖς* annumerantur a poëta *κήρυκες* non solum ob munera sua singulari prudentia et cum utilitate aliorum peracta, sed etiam ob originem popularem. Nusquam enim legimus, *κήρυκας* regiae stirpis vel cum regibus affinitate coniunctos fuisse. Eos quaestui quodammodo serviisse et donis ac beneficiis a regibus affectos nonnunquam sibi comparasse divitias, cum per se verisimile est, tum etiam exemplo Dolonis comprobari fortasse potest. Hic enim Dolon, quem speculatorem Diomedes et Ulixes captum interfecerunt, filius Eumedis, *κήρυκος* Troiani, erat homo dives Il. X, 314 sq.

ἦν δέ τις ἐν Τρώεσσι Δόλων, Εὐμήδεος υἱὸς
κήρυκος θείοιο πολύχρυσος, πολύχαλκος.

Qui, quum ab illis captus esset, magnum ex divitiis suis redemptionis pretium patrem daturum esse pollicitus est.

v. 378. ζωγρεῖτ᾽, αὐτὰρ ἐγὼν ἐμὲ λύσομαι· ἔστι γὰρ ἔνδον
χαλκός τε χρυσός τε, πολύκμητός τε σίδηρος,
τῶν κ᾽ ὔμμιν χαρίσαιτο πατὴρ ἀπερείσι᾽ ἄποινα,
εἴ κεν ἐμὲ ζωὸν πεπύθοιτ᾽ ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν.

Has divitias a patre ex munere κήρυκος comparatas et cum filio communicatas esse crediderim, nisi forte veterum grammaticorum opinio, artes a patribus veluti hereditate tradi filiis, tibi arridet, Dolonemque κήρυκα fuisse atque ex hoc munere donis acceptis suas sibi collegisse divitias, tibi videris posse contendere. Ait enim de artibus hereditate traditis **Eust. ad Od. II, 22 p. 1431, 61.** Ὅτι δὲ τὰς πατρῴας οἱ παῖδες ἐξεδέχοντο τέχνας, ὡς καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι ἐδηλώθη, Ἡρόδοτος ἱστορεῖ· αὐλητοῦ γὰρ αὐλητὴς, καὶ μαγείρου φησὶ μάγειρος καὶ κῆρυξ κήρυκος. ad Il. X, 314 p. 808, 15. Ὅτι δὲ ὡς εἰκὸς κῆρυξ ἦν κατὰ τὸν πατέρα καὶ ὁ Δόλων, ἡ παλαιὰ συνήθεια δηλοῖ· σύνηθες γὰρ τοῖς παλαιοῖς, ὡς ἱστορεῖ καὶ Ἡρόδοτος, τὰς πατρῴας τέχνας διαδέχεσθαι. ad Il. XVII, 323 p. 1108, 40. κῆρυξ οὖν καὶ ὁ Ἤπυτος, οὗ τὴν τέχνην ὁ υἱὸς διεδέξατο κατὰ ἔθος ἀρχαῖον. —

Annotationes.

1) Et. Mg. p. 511, 35. κῆρυξ ἀπὸ τῦ κηρύσσω, κηρύξω γίνεται ἀποβολῇ τοῦ ῶ, τοῦτο παρὰ τὸ γῆρυς, ὃ σημαίνει τὴν φωνὴν, γηρύσσω καὶ κηρύσσω. Eust. ad Il. I, 320 p. 110, 8 κῆρυξ ἐκ τῦ γηρύω τὸ φωνῶ παράγεται. ad Il. I, 334, p. 112, 23. κήρυκες ἐκ τοῦ γαρύειν λέγονται. ad Il. VII, 384, p. 686, 22. κῆρυξ ἀπὸ τῦ γαρύειν λέγεται, ὅ ἐστι φωνεῖν. ad Il. VIII, 517, p. 727, 1. κήρυκες — ἀπὸ τῦ γαρύω τὸ φωνῶ τὴν ἐτυμολογίαν ἔχουσιν.

2) Hom. Il. IV, 437. οὐ γὰρ ἦεν ὁμὸς θρόος, οὐδ᾽ ἴα γῆρυς
ἀλλὰ γλῶσσ᾽ ἐμέμικτο· πολύκλητοι δ᾽ ἔσαν ἄνδρες.

3) De his novem praeconibus paullo fusius disputare, non alienum est visum. In castris Graecorum ad Troiam positis hi praecones nominatim appellantur: a) **Talthybius**, praeco Agamemnonis Il. I, 320. III, 118. IV, 192. VII, 276. XIX, 196, 250. XXIII, 897, qui ipse postea Spartae pro deo cultus est, eiusque posteri Ταλθυβιάδαι magno in honore, teste Herodoto VII, 134 τοῖσι δὲ ὦν Λακεδαιμονίοισι μῆνις κατέσκηψε Ταλθυβίου, τοῦ Ἀγαμέμνονος κήρυκος· ἐν γὰρ Σπάρτῃ ἐστὶ Ταλθυβίου ἱρόν· εἰσὶ δὲ καὶ ἀπόγονοι Ταλθυβίου Ταλθυβιάδαι καλεόμενοι, τοῖσι αἱ κηρυκηΐαι αἱ ἐκ Σπάρτης πᾶσαι γέρας δίδονται. b) **Eurybates**, praeco Agamemnonis Il. I, 320, c) alius **Eurybates** Ἰθακήσιος, Ulixis praeco

Il. II, 184 *ὀλίγου προγενέστερος αὐτοῦ* (Ulixis) Od. XIX, 244, corpore deformis (246 — *γυρὸς ἐν ὤμοισιν, μελανόχροος, οὐλοκάρηνος*), qui idem Il. IX, 170 intelligendus esse videtur, non Agamemnonis, ut quidam lexicographi volunt. Ibi enim Ulixem et Aiacem reges, legatos ad Achillem missos, suum quisque regem duo praecones Ulixem Eurybates, Aiacem Hodios secuti videntur esse. Tertio legato Phoenici, quum rex non sit, *κῆρυξ* comes non adiungitur. d) **Hodios**, Aiacis praeco Il. IX, 170. e) **Thootes** Menesthei praeco Il. XII, 342. Quo ex recensu manifestum est, nihil agere veteres interpretes, qui, ut numerum horum novem *κηρύκων* complerent, his quinque alia quattuor nomina adiunxerint. Sic Eustathius ad hunc locum Stentorem, Calchantem, Asphalionem et Eteoneum illis quinque addit. At hi quattuor nusquam neque *κήρυκες* vocantur, neque *κηρύκων* muneribus publicis funguntur. Stentor Il. V, 785 et Calchas (*μάντις*) Il. XIII, 45 laudantur quidem ob vocis magnitudinem, eos vero propterea *κήρυκας* vocare, aeque ineptum est, ac si Menelaum, Diomedem, Aiacem, Hectorem et quos alios reges poëta *βοὴν ἀγαθοὺς* vocat, praeconibus annumerare velis. Asphalion et Eteoneus sunt *θεράποντες* Menelai Spartae Od. IV, 22, 216, non *κήρυκες*, et quanquam ex Od. IV, 33 apparere videtur, eos, certe Eteoneum, Menelai in bello Troiano comites fuisse, et ex Il. I, 320 sq. *ἀλλ᾽ ὅγε Ταλθύβιον καὶ Εὐρυβάτην προσέειπε, τώ οἱ ἔσαν κήρυκε καὶ ὀτρηρὼ θεράποντε* et Od, XVIII, 423 *Μούλιος ἥρως, κῆρυξ Δουλιχιεὺς θεράπων ἦν Ἀμφινόμοιο* colligi potest, *θεράποντας* et *κήρυκας* eosdem et nomine tantum diversos esse, tamen utrorumque ratio et conditio alia est. Etsi enim, ut postea demonstrabitur, *κήρυκες* nonnunquam privatim regibus eadem, quae *θεράποντες* officia praestant, tamen nunquam vice versa *θεράποντες κηρύκων*, quae propria sunt, muneribus funguntur, neque usquam *κήρυκες* regiae stirpis sunt, quemadmodum *θεράποντες* multi, ut postea annot. 19 videbimus. Errant ergo, qui illos Menelai *θεράποντας* Asphalionem et Eteoneum (*χρείοντα* Od. IV, 22) *κήρυκας* vocant, eosque in numero illorum novem fuisse dicunt. Neque dignus, qui refutetur, est scholiasta Ven. ad h. l., qui Merionem Diomedis, Stentorem Nestoris *κήρυκα* vocat, dicens: *ἐννέα δὲ κήρυκες οἱ τῶν ἐννέα γερόντων Ὁδίος Αἴαντος, οἱ περὶ Ταλθύβιον καὶ Εὐρυβάτην Ἀγαμέμνονος, Εὐρυβάτης Ὀδυσσέως, Ἀσφαλίων καὶ Ἐτεωνεὺς Μενελάου, Θοώτης καὶ Στέντωρ Νέστορος*

Μηριόνης Δηιμήδους. Unde hoc coniecerit, nescio. Alia est ratio huius numeri novem. Est enim numerus certus pro incerto quodam a poëta positus. Quemadmodum enim in maioribus numeris sexcenti, μυρίοι pro permultis, innumerabilibus dicuntur, sic poëta pro multis, compluribus κήρυξι novem fuisse dicit. Hunc enim locum si cum aliis comparaveris, in quibus eodem numero utitur poëta ex. gr. Il. I, 53. VI, 174. XXIV, 610. 664, 784, 107. XII, 25. IX, 470. XVIII, 400. XVI, 785. XVIII, 578. Od. III, 7. VI, 258. VII, 252. IX, 82, 160. XI, 311, 577. XII, 447. XIV, 314. (cf. Nitsch ad Od. IV, 587) eosque accuratius consideraveris, facile erit perspectum, in aliis numerum certum ferri posse, neque necesse esse, ut incertum numerum intelligendum esse contendas, in aliis vero vix cuiquam probaveris, poëtam certum numerum in animo habuisse nobisque persuadere voluisse, Ulixem naufragum, nullo cibo sumpto, trabi adhaerentem, novem dies per fluctus natasse Od. VII, 252, XIV, 314, vel per novem dies ipsos eundem fuisse ventorum et fluctuum tenorem Od. IX, 82. XII, 447, vel Patroclum in pugna ter novenos morti dedisse Il. XVI, 785. Quod quum senserint veteres interpretes, hunc numerum in deliciis fuisse poëtae dicunt eiusque rei caussas varias commenti sunt, ut docet Eust. ad Il. II, 96 p. 180, 15. σημείωσαι δὲ καὶ νῦν, ὅτι καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς πολλαχοῦ φανήσεται, προσπαθῶς ἔχει ὁ ποιητὴς τῷ ἐννέα ἀριθμῷ διά τε ἄλλας αἰτίας, ἃς λέγουσιν οἱ παλαιοὶ, οἷον καὶ ὅτι τετράγωνός ἐστι καὶ τέλειος, ἐκ τελείου τοῦ τρία γενόμενος πολυπλασιασθέντος εἰς ἑαυτὸν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὰς Μούσας, αἳ τῷ ἀριθμῷ τούτῳ περιγράφονται. Οἱ δ' αὐτοὶ παλαιοὶ καὶ ὡς περισσάκις περισσὸν τὸν ἐννέα σεμνύνουσιν ἀριθμὸν, εἰς τρεῖς διαιρούμενον τριάδας, ὧν ἑκάστη πάλιν τριὰς εἰς μονάδας τρεῖς· πολλαχοῦ τοίνυν ὁ ποιητὴς εὐεπίφορός ἐστιν εἰς τὸν ἐννέα ἀριθμὸν, ὡς δειχθήσεται· διὸ καὶ ἐνταῦθα τοὺς κήρυκας ἐννέα εἶναι φησὶν καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς δέ που ἐννέα τινὰς ἀνταγωνιστὰς τῷ Ἕκτορι πολεμίους. Τινὲς δὲ πειρῶνται καὶ ἱστορικῶς ἀποκαθιστᾶν τὴν τῶν κηρύκων τούτων ἐννεάδα, λέγοντες, ὅτι Ταλθύβιος καὶ Εὐρυβάτης Ἀγαμέμνονος κήρυκες, Ὀδίος Αἴαντος, Εὐρυβάτης ἕτερος Ὀδυσσέως, Ἀσφαλίων καὶ Ἐτεωνεὺς Μενελάου· συγκαταριθμοῦσι δὲ αὐτοῖς Στέντορα τὸν εὐρυβόαν, ὅπερ Ὅμηρος ἐν τοῖς ἑξῆς μεμνήσεται καὶ τὸν Θοώτην ἤδη δὲ καὶ τὸν Κάλχαντα, μεγαλόφωνον καὶ αὐτὸν τεκμηριώμενοι, ἐξ ὧν εὕρηταί που ἐν τοῖς μετὰ ταῦτα ὁ Ποσειδῶν τῷ Κάλχαντι ἐξομοιούμενος καὶ τοῖς Ἕλλησιν ἐμβοώμενος καὶ κελεύων μάχεσθαι. — Hic addam cetera nomina κηρύκων, quae apud Homerum reperiuntur. Apud Troianos κήρυκες hi nominantur: a) Idaeus Priami κήρυξ Il. III, 245. VII, 276 sq. XX, 325 sq. iam γεραίτερος Il. XXIV, 149. 178.

b) Eumedes, pater Dolonis, speculatoris Il. X, 315. c) Periphas, Anchisae κήρυξ Il. XVII, 24. In Ithaca Peisenor Od. II, 38, Medon Od. IV, 677 sq. XVI, 252, 412. XVII, 172. XXII, 357 sq. XXIV, 438 sq. Mulios κήρυξ Δουλιχιεύς, θεράπων Ἀμφινόμοιο Od. XVIII, 423. — Apud Phaeaces Pontonous Od. VII, 178 sq. VIII, 65. XIII, 49 sq. Alios praeterea κήρυκας fuisse et in Ithaca et apud Phaeaces docent Od. XVIII, 291. XX, 216. VIII, 399. XVII, 172; apud Troianos Il. III, 245; apud Graecos in castris Il. II, 97.

4) De hoc κηρύκων sceptro, quod postea κηρύκειον vocatur (Herodt. IX, 100.) ait Eust. ad Il. II, 103 p. 184, 45: illud sceptrum Ζεὺς δὲ τῷ Ἑρμῇ δίδωσιν ὡς κηρύκειον· ῥαβδὸς δὲ τὸ κηρύκειον σύμβολον οὖσα τοῦ κήρυκα εἶναι τὸν φέροντα.

5) Tuba enim et alia eiusmodi instrumenta late sonantia, quibus serioribus temporibus signa dari solebant, illis temporibus heroicis nondum inventa erant, certe talium cornuum usus bello Troiano nullus. Commemoratur quidem σάλπιγξ tuba Il. XVIII, 218 ὡς δ' ὅτ' ἀριζήλη φωνή, ὅτε τ' ἴαχε σάλπιγξ ἄστυ περιπλομένων δηΐων ὕπο θυμοραϊστέων, ὣς τότ' ἀριζήλη φωνὴ γένετ' Αἰακίδαο, et verbum σαλπίζειν Il. XXI, 388 ἀμφὶ δὲ σάλπιγξεν μέγας οὐρανός, sed monendum, poëtam longo post bellum Troianum temporis intervallo vixisse, saepeque — id quod vel maxime in comparationibus et similitudinibus fit — mores et instituta suae aetatis ad illa tempora heroica transferre. cf. Nitsch ad Od. VI, 371 p. 58. Bene etiam Eust. ad Il. XVII, 219 p. 1139, 53 ait: φασὶ δὲ οἱ παλαιοί, ὡς οἶδε μὲν ὁ ποιητὴς σάλπιγγα, ἥρωας δὲ οὐκ εἰσάγει χρωμένους αὐτῇ οὐδὲ εἰδότας. Talia instrumenta quum deessent, etiam ducibus et aliis hominibus, qui publice prodire et in concionibus proeliisque verba facere et imperia dare solebant, vox clara et magna laudi et virtuti erat. Inde βοὴν ἀγαθὸς Menelaos Il. II, 408 etc. Diomedes Il. II, 563. Hector Il. XV, 671. Aiax Il. XV, 249. Polites, Priami filius Il. XXIV, 250, λιγὺς ἀγορητὴς Nestor Il. I, 248. IV, 293. Thersites Il. II, 246. Telemachus Od. XX, 274, ὄψ χάλκεος Achillis Il. XVIII, 222. ἀτειρὴς φωνὴ Calchantis Il. XIII, 45. Deiphobi Il. XXII, 227. Phoenicis Il. XVII, 555 et Stentoris laus Il. V, 785.

6) Eust. ad Il. II, 50 p. 171, 16 ἀρετὴ κήρυκος τὸ λιγύφθογγον εἶναι ἢ ὀξύφωνον.

7) Eust. ad Il. XVIII, 505 p. 1158, 36 ἠεροφώνους δὲ κήρυκας Ὅμηρος κἀνταῦθα εἰπὼν τὸν κατὰ Ζήνωνα τῆς φωνῆς ὅρον προὐπέβαλεν εἰπόντα, φωνή ἐστιν ἀὴρ πεπληγμένος.

8) Schol. Ven. ad h. l. ἀπὸ τῦ βοᾶν καὶ συγκαλεῖν τὸν ὄχλον. Eust. ad h. l. p. 1366, 5 Ἰστέον δὲ ὅτι τῷ μετὰ τῦ Πριάμου κήρυκι κύριον μὲν ὄνομα τὸ Ἰδαῖος ἐκ Τρωϊκῦ ὄρους τῆς Ἴδης ληφθὲν· ἐπίθετα δὲ τό τε καλήτωρ, οἷον, ἐς δ' ἄγαγον κήρυκα καλήτορα τοῖο γέροντος, ὡς ἐκ τῦ καλῶ καλήσω, ἐξ οὗ καὶ κύριόν που ἦν τὸ Καλήσιος (Il. VI, 18) καὶ τὸ ἀστυβοώτης παρὰ τὸ κατὰ ἄστυ βοᾶν, ὥςπερ καὶ ἀπὸ τῦ ἠπύειν, ὃ δηλοῖ τὸ φωνεῖν, ἠπύτα κῆρυξ που ὁ φωνητικός.

9) Hanc vocis divinae similitudinem, alias Od. I, 371. IX, 4. ἀοιδοῖς tributam, hic in magnitudine positam esse, docent Il. V, 860 et XIV, 148, ubi Ares (βριήπυος Il XIII, 521) et Poseidon clamant, ὅσσον τ' ἐννεάχιλοι ἐπίαχον ἢ δεκάχιλοι ἀνέρες ἐν πολέμῳ ἔριδα ξυνάγοντες Ἄρηος.

10) Eust. ad h. l. p. 686, 21. ἠπύτα κῆρυξ, ὅ ἐστι φωνητικὸς, τρόπος ἐστὶν ἐτυμολογικὸς· κῆρυξ τε γὰρ ἀπὸ τοῦ γαρύειν λέγεται, ὅ ἐστι φωνεῖν καὶ ἠπύτης ἀπὸ τῦ ἠπύειν. cf. supra not. 8 extr.

11) Eust. ad h. l. p. 1929, 10. φερωνύμως Τερπιάδης, τουτέστι Τερπίου υἱὸς, ὁ τερψίθυμος ἀοιδὸς Φήμιος.

12) Homeri enim verba sunt Il. V; 59 sqq.

> Μηριόνης δὲ Φέρεκλον ἐνήρατο, τέκτονος υἱὸν
> Ἁρμονίδεω, ὃς χερσὶν ἐπίστατο δαίδαλα πάντα
> τεύχειν· ἔξοχα γάρ μιν ἐφίλατο Παλλὰς Ἀθήνη
> ὃς καὶ Ἀλεξάνδρῳ τεκτήνατο νῆας ἐΐσας.

ubi Eust. p. 521, 40. Ἰστέον δὲ, ὅτι τὸ τέκτονος υἱὸν, οἱ μὲν ἀκριβέστεροι ἐπίθετόν φασιν, οἷα τέκτονος λεγομένου καὶ τῦ ναυπηγῦ, ὡς δηλοῖ τὸ τεκτήνατο νῆας ἐΐσας· ὥςτε εἶναι ἐνταῦθα δύο πρόςωπα, υἱὸν μὲν τὸν Φέρεκλον, πατέρα δὲ τὸν Ἁρμονίδην· τινὲς δὲ κύριον ἐνόησαν ὄνομα καὶ τὸν Τέκτονα καὶ τρία φασὶ πρόςωπα, ἵνα ὁ μὲν Φέρεκλος εἴη Τέκτονος υἱὸς, ὁ δὲ Τέκτων υἱὸς τῦ Ἅρμονος· καὶ ὅρα ὅπως οἰκεῖα ναυπηγοῖς τὰ ὀνόματα· ὁ γὰρ νῆα τεκταινόμενος κλᾶ τε φερόμενα τὰ ξύλα καὶ εὖ δὲ συναρμόττει αὐτά. Οὕτω δὲ καὶ πρὸ ὀλίγου (v. 9) Δάρητά τινα ἔλεγεν ἱερέα, καὶ υἱὸν αὐτῦ ἱστορεῖ Φηγέα· ἐκδέειν γὰρ δεῖ τὰ θυόμενα καὶ φηγοῖς καίειν, τουτέστι ξύλοις.

13) Eust. ad Od. VIII, 63 g. 1567, 56 Ἐπώνυμον δὲ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις τὸ παρὰ τοῖς ὕστερον φερώνυμον, ἢ γῦν ἔνθα τὸ ὄνομα ἐμφερὲς τοῖς πράγμασι· διττῶς δὲ ὡς ἐπὶ πολὺ τὸ ῥηθὲν ἐπώνυμον· ἢ τὸ αὐτομάτως τεθὲν τὴν ἀρχὴν, ὕστερον δὲ ἐπαληθεῦσαν, ὡς εἴπερ ἐκ προνοίας ἐτέθη· οἷον ὁ ῥήτωρ Δημοσθένης ἐπωνύμως ἐκλήθη, ἐπεὶ σθένος τῦ τῶν Ἀθηναίων δήμου γέγονεν ὕστερον, καὶ τῷ Αἴαντι δὲ τὸ ὄνομα ἐπώνυμον ἐξηνέχθη τοῖς αὐτῦ κακοῖς κατὰ τὴν τραγῳδίαν, διὰ τὸ αἴ, ὡς ἄξια αἰαγμάτων παθόντος αὐτῦ· ἢ γῦν οὕτως ἐπώνυμον τὸ ἀπὸ γενέσεως ἁπλῶς οὕτω τεθὲν, ἢ τὸ ἐκ μελέτης εἴτουν προνοίας, ὡς τὸ Ὀδυσσεὺς, περὶ ὃ ὁ πάππος φησὶ (Od. XIX, 409 sq.), τῷ δ' Ὀδυσσεὺς ἔστω ὄνομα, ἕνεκά μοι πολλοὶ ὠδύσαντο· τοιοῦτον ἐπώνυμον καὶ τὸ Ἀρήτη — καὶ τὸ Δημάρατος etc. Vide praeter alios, qui hac de re egerunt Nitsch ad Od. I, 8. II, 386. VIII, 114 — 117. X, 2.

14) Eust. ad h. l. p. 1891, 37. κήρυκες δὲ οἱ κατὰ τὴν Ἰθάκην δημόσιοι νοοῦνται, οἳ καὶ ταῖς θυσίαις ὑπούργουν, θεῖον γένος ὄντες, καὶ οὐ μόνον ἀνδρῶν ἄγγελοι, ἀλλὰ καὶ θεῶν, ὡς ἡ Ἰλιὰς δηλοῖ.

15) Eust. ad Od. XX, 216 p. 1891, 38 vide supra not. 14. ad Il. I, 320 p. 110, 15. Ἰστέον δὲ, ὅτι ἄσυλοι ἐς τὸ παντελὲς ἦσαν οἱ κήρυκες, οἷον θεῖον γένος νομιζόμενοι· ἐδόκουν γὰρ κατάγεσθαι ἀπὸ Κήρυκος υἱοῦ Ἑρμοῦ, ὃς ἐκ Πανδρόσου ἐγεννήθη αὐτῷ θυγατρὸς Κέκροπος· διὸ καὶ ἐν Ὀδυσσείᾳ στέλλων ὁ Ὀδυσσεὺς κατασκοποὺς εἰς ἀλλοδαπὰς χώρας καὶ κήρυκα ἐδίδου ἕπεσθαι διὰ τὸ ἄσυλον· καὶ ἦσαν μέσοι θείου τε γένους καὶ ἀνθρωπίνου καὶ οὐκ ἦν θεμιτὸν κακοῦσθαι αὐτοὺς· εἰ μὴ ἄρα Λαιστρύγονες μάρψειάν τινα ἢ Κύκλωψ ἢ ἕτερός τις, ὃς οὐκ οἶδε θέμιστας· διὸ καὶ ὁ βασιλεὺς κήρυκας εἰς τὴν τοῦ Ἀχιλλέως στέλλει σκηνὴν, πρὸς οὓς οὐκ ἂν ἐνδείξηται ὁ Ἀχιλλεὺς τὴν ἀπειλὴν, ἣν ἔφη πρὸ μικροῦ εἰπὼν (v. 303), αἶψά τοι αἷμα κελαινὸν ἐρωήσει περὶ δουρί· λογίζεται γὰρ ὁ βασιλεὺς, ὡς ἢ ἀνύσουσιν οἱ κήρυκες καὶ ἔχει αὐτὸς ὃ θέλει, ἢ ὑποστρέψουσιν ἀβλαβεῖς καὶ τὸ ἐντεῦθεν αὐτὸς τὸ ποιητέον βουλεύσεται. Ἀχιλλεὺς δὲ ἰδὼν αὐτοὺς καὶ τὸ καθῆκον τηρῶν αἰδεῖται καὶ χαίρετε, προςφωνεῖ, κήρυκες, Διὸς ἄγγελοι καὶ ἀνδρῶν καὶ ἕρμαιον ἡγεῖται τὸ πρᾶγμα, εἰ τοιοῦτοι ἄνδρες ἦλθον ἀφαιρησόμενοι τὴν Βρισηΐδα, οὓς μάρτυρας ὕστερον ἕξει τῆς τοῦ ἀπηνέος βασιλέως ἀδικίας παρά τε θεοῖς καὶ ἀνθρώποις. Κάλλιον ἄρα ὁ Ἀχιλλεὺς καὶ εὐλογώτερον σεμνύνει τοὺς θείους κήρυκας ἤπερ τὸ σκῆπτρον ἐκεῖνο, ὃ καὶ εἰς ὅρκον ἔθετο. cf. infra not. 16, 17, 18.

16) Eust. ad Il. X, 315 q. 808, 17. Ὅτι δὲ θεῖος ἅπας κῆρυξ παρὰ τοῖς παλαιοῖς, πολλαχοῦ δηλοῦται καὶ πρῶτον ἔνθα Διὸς ἐῤῥέθησαν οἱ κήρυκες ἄγγελοι· πάντως δὲ εἰκὸς καὶ θείους καὶ ἱεροὺς εἶναι τοὺς μὴ μόνον Ἑρμαϊκῶς κηρύσσοντας κατὰ τὸ Ἑρμοῦ τήνδε πομπεύω τέχνην βέβαιον, ὅπερ παρὰ τῷ Σοφοκλεῖ (Trach. 620) κῆρυξ Λίχας φησὶν, ἀλλὰ καὶ δημηγορίαις καὶ εἰρηναίαις ἐξυπηρετουμένους πρεσβείαις καὶ πολέμων λύσεσι καὶ ὅλως μέσους γενομένους εἰς πᾶν καθῆκον καὶ οὕτως ἱεροὺς Διΐ τε τῷ καὶ τὰ τοιαῦτα ἐφορῶντι καὶ λογίῳ Ἑρμῇ, ἐξ οὗ δοκοῦσι κατάγεσθαι.

17) Eust. ad Il. VIII, 517 p. 726, 63. Διὶ δὲ φίλοι οἱ κήρυκες οὐ κατὰ τὸν Ἕκτορα, ὃ προςεχῶς ἐλέχθη, ἀλλὰ διὰ τὸν ἐξ Ἑρμοῦ κήρυκα, ὡς καὶ ἐν ἄλλοις ἐῤῥέθη καὶ ὡς βασιλέων δὲ ὑπουργοὶ, οὓς δίους καὶ διοτρεφεῖς καὶ διογενεῖς ὁ παλαιὸς οἶδε λόγος.

18) Eust. ad Il. I, 334 p. 112, 29. Ὅτι τοὺς κήρυκας Διὸς ἀγγέλους ὁ Ἀχιλλεὺς λέγει καὶ ἀνδρῶν διὰ τὸ ἔν τε πάσαις θυσίαις αὐτοὺς διακονοῦντας μεσιτεύειν, καὶ μὴν καὶ ἐν ἀνδρῶν βουλαῖς τε καὶ ἀγοραῖς· ἢ Διὸς μὲν, διότι αὐτοὶ γαρύοντες ἤτοι φωνοῦντες ἀγγέλλουσιν ὡς Ἑρμῆς τε καὶ Ἶρις, οἱ περὶ τὸν Δία εἴρονται καὶ διότι καὶ ἐξ Ἑρμοῦ υἱοῦ Διός εἰσιν, ὡς ἐκεῖνον ἀναφέρονται· ἀνδρῶν δὲ, διότι βασιλέων ὑπηρέται εἰσίν· ὅτι δὲ κήρυκες μὲν ἐκ τοῦ, ὡς εἴρηται γαρύειν λέγονται, Ἑρμῆς δὲ καὶ Ἶρις παρὰ τὸ εἴρειν δῆλόν ἐστιν.

19) Nobile est imprimis inter θεράποντας nomen Patrocli, illius carissimi sodalis et amici Achillis. Erat filius Menoetii, Opunte oriundus et ob caedem imprudenter perpetratam adhuc puer

exsul, a patre suo ad Peleum deductus et una cum Achille educatus. Il. XXIII, 84 sqq. Inde eorum amor et familiaritas ipseque Patroclus Achillis θεράπων Il. XXIII, 90. XVI, 165, 244, 653. XVII, 164, 271, 388. XVIII, 152 et φίλος ἑταῖρος XVIII, 80, ἐνεής τε κρατερός τε ἑταῖρος XVII, 204, θυμῷ κεχαρισμένος XI, 608, fortitudine vel maxime insignis XVI. Similis necessitudo intercedebat inter Lycophronem et Aiacem Teucrumque Telamonis filios Il. XV, 430 sq., fortasse et inter Epeigeum Il. XVI, 570 — 580, Phoenicem Il. IX, 437 sqq., Pelei ὀπάονα (Eust. p. 1305, 24 ἀκόλουθόν ποτε τῦ Πηλέως) et Achillem. Fortissimos quosque sibi θεράποντας esse volunt reges Od. XIII,, 265 sq. Nobilissimi belli duces et reges erant aliorum regum θεράποντες, veluti Ulixes, Thrasymedes et Antilochus Nestoridae, Meges, Thoas, Meriones, Lycomedes et Melanippus θεράποντες Agamemnonis Il. XIX, 143, 238; Sthenelus Καπανήϊος υἱὸς Il, IV, 367. II, 563 Diomedis VI, 114; Meriones Idomenis θεράπων XIII, 246, 331. XXIII, 113, 124, 528, 860 et ὀπάων VII, 165. X, 58. XVII, 258; Ereythalion Lycurgi cuiusdam ducis Arcadum θερ. Il. VII, 132 — 156. Nonnunquam et deorum quidam vocantur θεράποντες, veluti omnes Danai Il. II, 110. XIX, 78. VI, 67. VII, 383, ambo Aiaces Il. VIII, 79, Ulixes et Diomedes Il. XIX, 47 θεράποντες Ἄρηος, Pelias et Neleus θεράποντες Διὸς Od. XI, 254. Eorum munera et officia, quae praestant regibus suis, sunt varia. Sunt enim ἡνίοχοί regum suorum, Patroclus Achillis Il. XIX, 404 sq. Sthenelus Diomedis Il. IV, 367. V, 111, 319, 835: Automedon Achillis Il. XIX, 392 sq. et Achillis iussu Patrocli Il. XVI, 145 sq. 279 sq. 473 sq.: Eurymedon Agamemnonis Il. IV, 227 sq. XI, 273 sq.: alius Eurymedon Nestoris Il. VIII, 104, 114. XI, 620: Coeranos Merionis XVII, 610: Mydon Pylaemenis, Paphlagonum regis Il. V, 576 — 588: Calesius Axyli Il. VI, 18: Thrasymelos Sarpedonis Il. XVI, 463: Eniopeus VIII, 119 sq., Archeptolemos VIII, 128, Cebriones (νόθος υἱὸς Πριάμου XVI, 738. VIII, 318) Hectoris XI, 522, 531. XII, 91: unde colligi possit, ceteros ἡνιόχους fuisse θεράποντας: sic, Isum, νόθον υἱὸν Πριάμου, fratris sui γνησίου Antiphi XI, 101 sq., Oileum Bienoris XI, 92, Cleitum XV, 445 et Astynoum XV, 455 Polydamantis, Laodocum Antilochi XVII, 699. Eodem in curru quum stent duo fratres Peisandros et Hippolochos XI, 122 sq., Echemon et Chromios V, 159 sq., Adrastos et Amphios XI, 328 sq., duo

Actoriones Cteatos et Eurytos XXIII, 641, Aisepos et Pedasos VI, 21 sq. alter ἡνίοχος et θεράπων alterius videtur fuisse. Praeterea regibus suis praesto sunt in equis iungendis et disiungendis Il. XIX, 392. XXIII, 514. in praeda agenda et hoste spoliando Il. VI, 53. V, 263, 323 sq. V. 118, in armis exuendis VII, 122. XVII, 699, in vulneribus curandis V, 111. XI, 843. XV, 401, in nunciis et mandatis perferendis Il. XI, 602. XXIII, 563. XIX, 143, 238 sq. Od. XVIII, 297, 299 atque in aliis officiis Il. XI, 620, 658. XXIII, 511. XIX, 281, in coena apparanda Il. IX, 201 sq. XXIV, 625. Od. I, 110. XV, 95 sq. ipsi δαήμονες δαιτροσυνάων Od. XVI, 247. I, 111 sq. in hospitibus excipiendis Od. IV, 22 sq. 216. Il. XXIV, 574 sq. ob haec officia sedulo peracta ὀτρηροὶ appellati Il. I, 321, Od. IV, 23, 38, 217. I, 109. Procorum θεράποντες ὑπέρθυμοι viginti insidias struunt Telemacho Pylo redeunti Od. IV, 784. XVI, 360. His brevissime disputatis, adiungam veterum interpretum de his θεράπουσιν iudicia. Et. Mg. p. 446, 42. θεράπων, δοῦλος, ὑπηρέτης· παρὰ τὸ θεραπεύειν τὸν κρείττονα — θεράποντας, οὐχ ὥσπερ οἱ νεώτεροι, δούλους, ἀλλὰ πάντας τοὺς θεραπευτικῶς ἔχοντας, ὡς — Δαναοί θεράποντες Ἄρηος — καὶ τὸν ἐν δευτέρᾳ τάξει φίλον, ὡς Πάτροκλος Ἀχιλλέως θεράπων. Eust. p. 96, 15. Κρητῶν δὲ γλώσσης θεράπων. p. 1108 ad Il. I, 321. τὸ δὲ θεράπων κατὰ Κρῆτας δηλοῖ φασι δοῦλον ὁπλοφόρον, ὅπερ οὐκ οἶδεν Ὅμηρος. p. 1090, 48 ad Il. XVI, 865. ὥςπερ οὐδὲ ὁ Πάτροκλος, οὕτως οὐδ' ὁ Αὐτομέδων δουλικῷ νοήματι θεράπων Ἀχιλλέως λέγοιτ' ἄν, εἰ καὶ Κρῆτες οὕτω χρῶνται τῇ τοῦ θεράποντος λέξει κατὰ τοὺς γλωσσογράφους. p. 1176, 26 ad Il. XIX, 414. θεράπων δὲ, καὶ δοῦλον ἁπλοφόρον δηλοὶ κατὰ τὴν Κρητῶν γλῶτταν, ἀλλὰ παρὰ τῷ ποιητῇ οὐδαμοῦ θεράποντες οἱ δοῦλοι, ἀλλὰ τῶν φίλων οἱ δραστικώτεροι. p. 1397, 58 ad Od. I, 109. οἱ δὲ θεράποντες ἁπλῶς ὑπηρέται εἰσὶ φίλοι, οὐ μὴν κατὰ τοὺς δούλους· οἱ μέντοι γλωσσογράφοι τοὺς Κρῆτάς φασι θεράποντα τὸν ὁπλοφόρον δοῦλον καλεῖν. p. 1741, 17 ad Od. XIII, 265. ἔνθα σημείωσαι, ὡς ἐντεῦθεν θεράπων παρὰ τῷ ποιητῇ, ὃς χαριζόμενός τινι θεραπεύει.

20) δαΐφρων cum Nitsch. ad Od. I, 48 a δαῆναι et φρὴν derivandum esse iudico. Sic et alii δημιοεργοὶ vocantur δαΐφρονες, ut Polybus Od. VIII, 373.

Scripsi Kalendis Septembribus MDCCCXLIV.

Kostka.

Schulnachrichten.

I. Lehrverfassung.

1) Vertheilung der Lehrgegenstände unter die Lehrer.

Lehrer.	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	Wöchentl. Stunden.
Professor Fabian, Direktor.	Lat. 6, Philos. 1 St.	. . .	. . .	Rel 2St.	Geschichte 2 St.	. . .	11
Prof. Dr. Cludius.	Gr. Pros. und Ex. 4 Hor. 2 Rel. 2 St.	Gr. Pros. und Ex. 4 Virg. 2 Re'. 2 St.	. . .	. . .	. . .	. . .	16
Obrl. Chrzescinski, Ord. auf I.	Math. 4, Phys. 2, Heb. 2 St.	Math. 4, Phys. 1, Heb. 2 St.	Math. 4 St.	. . .	. . .	. . .	19
Obrl. Kostka, Ordinar. auf II.	Hom. 2, St.	Lat. 8. Hom. 2 St.	Gr. Prosa und Ex. 4 St.	Gesch. und Geogr. 3 St.	. . .	. . .	19
Oberl. Dewischeit, Ord. auf III.	Deutsch 2 St.	. . .	Latein 8. Naturk. 2, Rel. 2 St.	Griech. 5 St.	. . .	. . .	20
	28	25	20	10	2	—	85

Lehrer.	I.	II.	III.	IV.	V.	IV.	Wöchentl. Stunden.
Uebertrag .	28	25	20	10	2	—	85
Dr. Jacobi, Ord. auf V.	. . .	. . .	Gesch. und Geogr. 4, Hom. 2, Franz. 2, Deutsch 2 St.	Deutsch 4 St.	Latein. 7, Geom. 1 St.	. . .	22
Oberl. Gorzitza, Ord. auf IV.	. . .	Deutsch 2 St.	. . .	Lat. 8, Math. 3 St.	Rel. 2 St. Deutsch 5, Geogr. 3.	. . .	23
Dr. Horch, Ord. auf VI.	Franz. 2, Gesch. und Geogr. 2 St,	Franz. 2, Gesch. und Geogr. 3 St.	. . .	. . .	. . .	Lat. 6 St. Deutsch 6, Geogr. 3.	24
Gymnasiallehrer Menzel.	Gesang = Gesang =	= 1 St. = =	Gesang = =	= 1 St. = 1 St. Naturk. 2, Zeichnen 2, Schreib. 1.	Gesang = Zeichn. = Schrb. = Naturk. 2, Rechn. 3.	= 2 St, = 2 St. = 3 St. Naturk. 2, Rechn. 5 bibl. Gsch. 2 Schreib. 1.	30
	34	34	32	32	32	32	184

2) Im letzten Schuljahr abgehandelte Lehrgegenstände.

